FR. ANDREÆ SGAMBATI
ORDINIS MINORUM
S.FRANCISCI CONVENTUALIUM
OPUS
DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.
TOMUS QUARTUS
COMPLECTENS
LIBROS DE SANCTISSIMA TRINITATE.



NEAPOLI
ANNO MDCCLXXVII.
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM PACI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

REVERENDISS. PATRI MAGISTRO

JOANNI CAROLO VIPERA

ROMANO

ARTIUM ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, TOTIUS ORDINIS MINORUM S.FRANCISCI CONVENTUALIUM POST SERAPHICUM PATRIARCHAM MINISTRO GENERALI LXXXX.

F. ANDREAS SGAMBATI

Labores hosce suos

D. D. D.

TUarum splendore virtutum, doctrinæ præstantia, nominis amplitudine vehementer ego intimeque perculsus, Tibi, Reverendissime Pater, IV. istud Theologicorum Institutorum volumen, quo primus Magistri Sententiarum liber absolvitur, in per-

perpetuum; ac inviolabile devotionis, ac servitutis meæ officium nuncupare, ac consecrare constitui; ut opus, quod nullam ex sese laudem promeretur, in præstantissimo optimoque Mecœnate præsidium decusque comperiat. Tu enim ab ipsis infantiæ tuæ primordiis ad provectam usque ætatem pietati ac literis tam ardenter incumbis, ut Seraphicus Ordo non sine Divino nutu, Bonorumque omnium voto Te, tanquam consummatæ virtutis exemplar, in Generalem Ministrum optaverit. Et sane probe noverant Sapientissimi Patres, quorum intererat universæ Familiæ nostræ dignum Caput eligere, quod in Te

ta-

talia ac tanta virtutum ornamenta micarent, ut ampliſſimis quibuſcunque honoribus digniſſimus appareres. Præclaro ſiquidem ditatus ingenio, ad humanarum Divinarumque rerum ſtudia animum vireſque omnes fortunatiſſimo exitu contuliſti; eamque præſertim ſapientiæ partem ſuſcepiſti diligentius excolendam, quæ non humanam mentem caſſo penitus labore divexat, ſed ad cœleſtia facilius intelligenda & obtinenda ſalutari inſtructione ſuccendit. Hinc illa manavit flagrans erga Deum proximumque caritas, quæ in corde tuo abunde diffuſa, Te præclariſſimum Evangelii Præconem effecit; ita nimirum,

ut Reges, ac Viri omnes nobilitate, virtute, ſcientiaque conſpicui Te magni ſemper fecerint, præcipuiſque laudibus exornaverint. Hinc effluxit etiam ingens illa religio, qua domus Dei nitorem decuſque augere deſiderans, quidquid ex copioſo illuſtrium laborum tuorum fructu lucratus es, totum id in amplificanda, ditandaque Eccleſia SS. Silveſtri, & Dorotheæ in Urbe, finitimaque Fratrum tuorum Æde liberaliter erogaſti. Hinc inſuper prodiere ille animi tui candor, morum temperies, vitæ integritas, orationis aſſiduitas, jejunii rigor, terrenorum deſpectus, cœleſtium amor, omnis denique virtus, quæ Te di-

gnum

gnum Seraphici Patris Filium ac Successorem mirifice præformavit; ut nempe absolutam optimi Pastoris imaginem exhiberes, paternamque, in subditos omnes facilitatem, benevolentiam, sollicitudinem demonstrares. Quæ cum ita se habeant, humanitatem ac bonitatem tuam oro, obtestorque, ut grati animi mei monumentum istud peramanter excipias, faveasque meis hisce laboribus: ita namque continget, ut opus, quod felici auspicio cœptum est, ad optatam perfectionem feliciori ductu, præsidioque tuo ocyus valeat pervenire.

FR.

FR. JOANNES CAROLUS VIPERA

ROMANUS

Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, Totius Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium.

Post eundem Seraphicum Patriarcham Minister Generalis LXXXX.

CUm Opus cui Titulus: *De Theologicis Institutis Tomus IV. &c.* a P. Magistro Andrea Sgambati Definitore Perpetuo Provinciæ Neapolis compositum, duo Ordinis nostri Theologi jussu nostro recognoverint, & in lucem edi posse testati fuerint; facultatem impertimur, ut typis tradatur, si iis, ad quos attinet, videbitur. In quorum &c.

Datum Romæ apud SS. XII. Apostolos die 15. Augusti anno 1777.

F. JOANNES CAROLUS VIPERA
Minister Generalis Ordinis.

F. MICHAEL ANGELUS URBANI
Secretarius, & Assistens Gener. Ordinis, ac Provincialis Angliæ.

INDEX

LIBER VII.

CA-

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CA-

CA-

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

DE

DE
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER VII.

Oſtendit quod in Deo Eſſentiæ Unitas cum Perſonarum Trinitate conſiſtat.



Dorandum Divinæ Trinitatis Myſterium, quod catholicæ fidei præcipua veritas eſt, in eo reponitur, quod tres Perſonæ realiter ab invicem diſtinctæ in perfectiſſima ejuſdem Eſſentiæ unitate conveniant; ita nimirum, ut licet alia ſit Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; horum tamen trium ſit una Divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas. Juxta igitur inſtituti noſtri ordinem hoc in libro ex Scripturis, & Traditione præfatum dogma tuebimur; infra vero ut quæ ad divinas Perſonas pertinent, manifeſtius exponantur, alterum librum proxime ſubnectemus, in quo de divinis proceſſionibus, ac relationibus enucleatius erit agendum.

CAPUT I.

An Trinitas Divinarum Personarum ex veteri Testamento probetur?

NEdum Judæi, & Muhammedani, sed quamplures etiam Hæretici Personarum Trinitatem in Deo esse negarunt. Primo siquidem nascentis Ecclesiæ seculo Simon Magus asseruit, *se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis ; tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse ; postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse* : uti legitur apud Augustinum in lib. de hæresibus c. 1.

Praxeas item Montani sectator labente secundo seculo, uti scribit Tertullianus in libro contra eundem hæreticum c. 1., *Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit*. Ex hoc fonte *Patripassianorum* hæresis emanavit ; eorum scilicet, qui cum unam Patris, & Filii Personam esse confingerent, illum pro nobis natum, crucifixum, passumque fuisse dixerunt.

Eundem errorem tertio seculo Noetus, Sabellius, & Paulus Samosatenus adstruere conati sunt, quorum deliria Photinus, & Priscillianus IV. postmodum seculo propugnarunt.

Circa vero annum 1531. Michael Servetus nefariam hæresim ab orco revocans, divinarum Personarum Trinitatem *Tricipitem Cerberum*, ejusque mysterii Cultores *Tritheitas*, & *A-*

& *Atheos* impurissimus appellavit. Adhæsere Serveto Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Joannes Paulus Alciatus, Bernardinus Ochinus, Francifcus David, aliique non pauci, qui Poloniam, ac Tranfylvaniam fuo macularunt errore.

Sed memorandi hic præcipue funt duo Socini, Lælius fcilicet, & Fauftus, qui nedum Perfonarum Trinitatem, fed & Chrifti divinitatem evertere toto conatu tentarunt. Socinianam hærefim tutati funt Joannes Crellius, Joannes Ludovicus Wolzogenius, Jonas Schliĉtingius, aliique complures. Ut autem contra peftiferum errorem catholicam veritatem propugnare pro viribus aggrediamur, fit

Propofitio. In veteri Teftamento plura loca non defunt, ex quibus oftenditur, plures in Deo effe Perfonas.

Probatur hæc thefis primo ex Gen. c. 1. v. *26.*, ubi ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & fimilitudinem noftram*. Verbum enim illud *Faciamus* pluralis eft numeri; pluralitatem ergo in Deo defignat: atqui Dei natura eft una prorfus & fimplex: igitur illa pluralitas pertinet ad Perfonas. Utuntur hoc teftimonio ad probandum Trinitatis myfterium Theologi omnes, & SS. Ecclefiæ Patres, ac præcipue Juftinus in dialogo cum Triphone, Ambrofius lib. *6.* in hexameron c. *7.*, Theodoretus quæft. 19. in Genefim &c.

Ut argumenti vim eludant, plura Judæi, & Sociniani refpondent. Et primo quidem ajunt, quod Reges, aliique præcipua dignitate confpicui foleant pluralem adhibere numerum, dum loquuntur: *Volumus*, *præcipimus*, *imperamus &c.*, non ut perfonarum pluralitatem

exprimant, sed ut auctoritatem suam ostendant. Non ergo repugnat, quod licet in Deo sit una persona, plurali tamen in numero sit ille locutus.

Atqui si quod objiciunt, verum esset, semper Deus de seipso loqui pluraliter debuisset; cum aliunde constet, illum fere semper singularem numerum usurpasse, etiam dum legis præcepta tulit, etiam dum ineffabile nomen suum Moysi revelavit: non ergo Deus ut majestatem & auctoritatem suam ostenderet, pluraliter est locutus; sed ut Trinitatis mysterium aperiret, quando id juxta sapientissimam ordinationem expedire putavit. Lege Theodoretum quæst. 20. in Genesim.

Huc accedit, quod recens modus ille sit, quo eximii nobilesque Viri de seipsis loqui pluraliter consueverunt; nam Pharaonem, Abimelechum, aliosque, licet superbos Principes, nunquam taliter affatos esse, perspicuum est: quapropter dici verissime potest, quod hujuscemodi loquendi phrasim Hebraicum idioma non patitur.

Respondent 2., quod juxta consuetum loquendi morem una quandoque persona pluralem numerum adhibeat, dum seipsam excitat ad agendum: pluraliter ergo Deus loqui potuit, dum ad præclarum hominis opificium se accinxit. Hinc & Annibal venenum hausturus ajebat apud Livium lib. 39. c. 35. *Liberemus diuturna cura populum Romanum.*

At responsio isthæc nullius est roboris: ut enim bene hac de re scribit S. Basilius hom. 9. in hexam. *Quis faber aut ærarius, aut lignarius, aut certe coriarius sutor solus ipse quidem, nec alio quodam sibi cooperante stipatus ... sibi*

sibi soli admurmurat dicens, Faciamus gladium, aut compingamus aratrum, aut conficiamus calceamentum? .... Sunt enim insignes profectò augæ unum aliquem inveniri, qui sibi imperet.

Annibal autem non solus ipse sibi plurali numero locutus est, sed regios milites intuebatur, qui omnes domus suæ exitus occupabant, eosque præsentes habebat, a quibus venenum, ut ignominiosam mortem effugeret, postulavit.

Denique licet homines aliquando ita loquantur, dum suspensi animo hærent, vel dum operis difficultate terrentur, vel etiam dum nugando conantur laborum suorum levare molestias; Deus tamen in quo nulla penitus imperfectio reperitur, ita loqui omnino non potest.

Reponunt ulterius, quod pluralis ille numerus non ad divinas Personas, sed ad Angelos referatur; horum namque ministerium Deus dum hominem condidit, advocavit.

Verum citato in textu eos alloquitur Deus, ad quorum imaginem factus est homo: atqui hic non ad Angelorum, sed ad Dei divinarumque Personarum imaginem factus est: legitur enim ibi v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.*

Sed & Angeli ministerium suum in hominis formatione nullatenus præbuerunt; scriptum est enim Gen. c. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Quod si hominis corpus, & animam Deus ipse produxit; non igitur Angeli Deo in hoc opere mi-

ministrarunt. Hinc Patres omnes commentitiam istam Judæorum responsionem unanimi consensione rejiciunt, ac præsertim Irenæus qui in lib. 4. contra hær. c. 20. n. 1. scribit: *Non ergo Angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec alius quis præter Verbum Domini, nec Virtus longe absistens a Patre universorum.*

Ex eo insuper proposita confirmatur assertio, quod Gen. c. 3. v. 22. hæc habentur: *Et ait* Dominus Deus: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Quæ verba expendens Justinus in dialogo cum Tryphone n. 62. ait: *Dum ergo dicit:* Quasi unus ex nobis, *& numerum eorum, qui inter se conjuncti sint, & saltem duos declaravit.*

Præterea Gen. c. 11. v. 7. legitur dixisse Deum: *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Tres igitur sunt in Deo Personæ; uti ex hoc loco inferunt Chrysostomus hom. 30. in Gen., Basilius lib. 5. contra Eunomium, Nyssenus, Theodoretus, aliique, quos intea Auctor homiliæ de Trinitate, quæ Chrysostomo tribuitur, inquit: *Dicendo*, venite, *pares honore exhortando vocat, neque enim si Angelis imperasset, dicere debuit*, venite: *sed imperando*, ite. *Vide autem obsecro, quomodo Patris vox Filium & Spiritum Sanctum vocet; nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere:* Veni, & descendamus; *quia autem dixit*, venite, *unius est vox ad duos honore aequales.*

Quod si dixeris, quorundam Interpretum esse sententiam, quod in veteri testamento nunquam Deus apparuerit, sed quod Angeli fuerint, qui Dei jussa fecerunt.

Re-

Reponemus, quod etsi dicatur, Deum confudisse linguas, & plura alia patrasse per Angelos; hi tamen sæpe verbis ac signis Dei expressere potentiam, ejusdemque nomine locuti sunt. Hinc laudato in capite v. 5. dicitur: *Descendit Dominus* יהוה Et v. 8. *Divisit eos Dominus* יהוה Et denique v. 9. *Dispersit eos Dominus* יהוה, Audis ineffabile nomen *Jehova*, quod ipsam Dei designat Essentiam? Lege S. Augustinum in lib. 1. quæst. in Gen. quæst. 22.

Aliud quoque momentum ex Gen. c. 19. v. 24. depromitur: *Igitur Dominus* יהוה *pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino* יהוה *de cœlo*. Illud itaque tetragrammaton nomen Angelis convenire non potest, & repetitur cum propositione illa מאת *ex, a, ab*; *Jehova a Jehova, Dominus a Domino*; ut nimirum duas saltem Personas, quarum una ex altera deducat originem, in Deo esse monstretur. Quare S. Irenæus in lib. 3. contra hær. c. 6. ait: *Filium hic significat, qui & Abrahæ colloquutus sit, a Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum*. Irenæo consentiunt Justinus in dialogo cum Tryphone, pluresque alii tum Latini, tum Græci Patres, quibus etiam duæ Synodi jungendæ sunt, Antiochensis scilicet in epistola Synod. contra Paulum Samosatenum, et Sirmiensis contra Photinum anathematismo XVI,

Assentiri ergo non possumus quorundam opinioni dicentium, quod hoc in textu non designetur Personarum distinctio, sed quod unice Dei potentia celebretur & virtus, per quam prodigium illud effectum est; quasi quod

iste debeat esse sensus : *Dominus a seipso pluit e cœlo sulphur & ignem*. Ad commendandam enim Dei potentiam satis profecto verba illa fuissent, *Pluit Dominus de cœlo*; ita siquidem legentibus apparuisset, quod non naturalibus causis adscribendum esset incendium. Quia ergo ineffabile nomen non quomodocunque repetitur, sed ita ut propositio emphasim denotans pariter apponatur, *Jehova a Jehova pluit e cœlo*; idcirco rectissime Patres originem unius divinæ Personæ ab altera laudato in testimonio exprimi docuerunt. Huc accedit, quod si ille versiculus pluralitatem Personarum simul cum unitate Essentiæ non monstraret; cum ibi nomen Jehova bis legatur, idololatriæ occasionem Judæis facile præbuisset.

Ex Psalmo etiam 32. divinarum Personarum Trinitas non obscure colligitur; versu enim 6. habetur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Domini ergo nomine Deus Pater ostenditur, qui per Verbum, & Spiritum Sanctum cœlos & omnia condidit, firmavit, ornavit. Hinc Epiphanius hær.23. n.5. ait: *Sed neque Filium dumtaxat advocari dixerim, imo vero Sanctum etiam Spiritum. Verbo enim Domini &c.* Ita pariter textum istum exponunt Basilius, Gregorius Magnus, Theodoretus, aliique. Tribus autem hisce Personis sicuti eadem creationis opera tribuuntur, ita & eandem tribuendam esse potentiam & naturam, apud Judæos etiam hæreticosque certissimum est.

Denique Isaiæ c. 6. v. 3. Seraphim *clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Trina enim sanctitatis repetitio non obscure de-

demonſtrat, quod Pater, & Filius, & Spiritus in ſanctitate & eſſentia unum ſint, plures autem in Perſonis: quapropter ibidem v. 8. dixit Dominus: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Hinc S. Ambroſius in lib. 2. de fide c. 4. ſcribit: *Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret: non bis, ne Spiritum Sanctum præteriret: non quater, ne creaturas conjungeret. Et ut oſtenderet Trinitatis unam eſſe Deitatem, dum ter dixiſſet*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *addidit ſingulariter*, Dominus Deus Sabaoth.

Sunt & alia veteris Scripturæ teſtimonia, quæ ad propoſitionis hujuſce confirmationem a Theologis adducuntur; ea tamen nos brevitatis cauſa præterimus: at interim adnotamus, quod licet ex quibuſdam textibus non omnino dilucide Trinitatis myſterium oſtendatur; cum tamen ex eis veteres Rabbini Perſonarum pluralitatem in Deo eſſe probaverint, idcirco idonea illa ſunt ad recentium Judæorum pervicaciam retundendam. Lege Petrum Galatinum in lib. 2. de arcanis catholicæ veritatis.

Quod ſi cauſam quæſieris, cur Deus Trinitatis myſterium non ita aperte Judaico populo, ut nobis, aperire voluerit; reſpondebimus, quod cum illi ad idololatriam proclives fuerint, ne ex pluralitate Perſonarum plures etiam deos eſſe conjicerent, *ſapientiſſimus Deus nequaquam illis manifeſte, apertaque prorſus oratione, Trinitatis myſteria tradidit:* uti ſcribit Theodoretus in libro de curatione Græcarum affectionum ſermone 2.

Deinde Deus ita diſpoſuit, ut novi teſtamenti gratia & perfectio præclarius appareret, homineſque per quoſdam veluti gradus & incre-

crementa doctrinæ in divinarum rerum cognitione proficerent. Lege Nazianzenum in oratione 37., & Augustinum in quæst. vet. testam. c. 86.

De Patriarchis autem, & Prophetis, aliisque sanctitate conspicuis aliter dicendum est, uti docent SS. Patres, quos inter Epiphanius hær. 8. n. 5. scribit: *Trinitas semper in illa singulari Divinitate nunciata, creditaque ab illis est, qui ceteris antecellerent, cujusmodi Prophetæ atque eximia sanctitate præditi homines fuerunt.*

Apud legis etiam Doctores aliquam de Trinitate viguisse notitiam, ex eo constat, quod uti supra probavimus, veteris Testamenti Scriptura non omnino taceat trium Personarum unam in Deo substantiam; constat ex eo etiam, quod Christus Judæis ajebat Jo. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.... illæ sunt quæ testimonium perbibent de me*. Quod sane non dixisset, nisi ex recepta apud Judæos traditione, aliqua in Scripturis testimonia essent, quæ Divinitatem ejus, ac Personarum pluralitatem ostenderent.

CA-

CAPUT II.

Divinarum Personarum Trinitas ex novo Testamento defenditur.

PLura ex novo Fœdere à Patribus ac Theologis testimonia proferuntur, ut Personarum Trinitatem in Deo esse aperte convincant. Nos hic pauca tantum adducimus, tum quia brevitati studemus, tum quia inferius dum de Verbi, & Spiritus Sancti divinitate tractabimus, opportuniori loco alia subjungemus.

Propositio. Ex novo Testamento aperte Personarum Trinitas demonstratur.

Probatur 1. ex Matth. c. 3., ubi vv. 16. & 17. legitur, quod dum Jesus baptizatus est, *ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic itaque tres divinæ Personæ manifeste significantur; Pater scilicet qui de cœlo loquitur, Filius de quo Pater testimonium perhibet, & Spiritus Sanctus qui sub columbæ specie e cœlo descendit.

Reponunt 1. Sociniani, quod adducto in textu Christus Dei Filius esse dicatur non natura, sed gratia; quia licet ille simplex fuerit creatura, tali tamen tantaque caritate fuit ornatus, ut adoptionem filii a Deo reciperet.

At omnino perperam. In Græco enim co-

di-

dice repetitur articulus ὁ, ut magna notetur emphasis, utque monstretur, quod Christus ratione hypostaticæ unionis sit Dei Filius proprius, unigenitus, naturalis; sicuti Patres omnes concordi sententia testimonium istud exponunt. Ο' υἱός μου, ὁ ἀγαπητός, *ille Filius meus, ille dilectus*. Quod de adoptivo tantum filio dici omnino non potest.

Reponunt 2., quod Spiritus qui descendit, non vera fuerit ac subsistens Persona, sed Dei virtus & gratia, qua Christus abunde exornatus apparuit; quo etiam in sensu Joannis baptisma, & omne donum perfectum dicitur e cœlo descendere. Affirmant ulterius, quod verba illa, *sicut columbam*, non indicent Spiritum Sanctum sub columbæ specie descendisse; sed quod modum exprimant, quo super Christum Dei virtus advenerit; id est, non vehementer, uti solet accipiter, sed leniter, ut columba.

At si nomen Patris, nomenque Filii, ipsis hæreticis confitentibus, veras propriasque Personas ostendunt; cur nomen Spiritus non Personam, sed Dei dumtaxat virtutem, & efficaciam designabit? Deinde nullibi legitur in Scripturis, quod Dei dona sub corporali forma descenderint; inquit autem S. Lucas c. 3. v. 22., quod *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*: ergo ipsamet Spiritus Sancti Persona sub visibili columbæ figura descendit; quidquid interim sit de modo vel leni, vel vehementi, quo ille descendisse dicatur.

Agit de sensili hac columbæ visione Chrysostomus hom. 12. in Matth., ubi n. 3. ad rem nostram hæc inter alia scribit: *Cur autem in co-*

columbæ specie? Mansuetum est animal & mundum. Quia igitur Spiritus, mansuetudinis est Spiritus, ideo illa forma apparuit.

Sed instabis cum Schlictingio in disp. de SS. Trinitate contra Meisnerum. Ex eo quod in die Pentecostes super Apostolos apparuerint dispertitæ plures linguæ tanquam ignis, non sequitur, plures esse in Spiritu Sancto Personas: ergo & ex eo quod idem Spiritus sub columbæ specie apparuisse dicatur, sequi non potest, illum veram esse Personam.

At plures illæ linguæ ostendunt quidem, quod plures fuerint Apostoli, quos Spiritus Sanctus implevit; non quod ipsius Spiritus multiplex sit persona: unius enim causæ plures esse possunt effectus, & unius rei plures imagines. Hinc Act. 2. v. 3. legitur: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Unus ergo Spiritus qui sedit, plures vero linguæ, ac plura charismata pro eorum numero, supra quos unum illum Spiritum sedisse narratur.

Probatur 2. ex eo quod ait Christus Apostolis Matth. c. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Illud enim *in nomine*, quod singulari numero prolatum est, unam eandemque auctoritatem, ac naturam inesse designat in tribus Personis, quæ distinctæ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti appellatione notantur. *In nomine*, inquit Augustinus in lib. 2. contra Maximinum c. 22 n. 3., *non in nominibus: hi enim tres unum sunt, & hi tres unus est Deus.*

Respondent, citati textus hunc esse sensum, quod nimirum baptizandi sint homines in nomi-

mine Patris qui est verus Deus, & Christi qui est ejus Filius adoptivus, & Spiritus Sancti qui Dei virtus dicitur ac potestas. Non enim repugnat, quod plurium nomine baptizemur, qui diversam habeant naturam. In prima enim ad Cor. c. 10. v. 2. legitur; *Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari*: non tamen inde recte deducitur, quod Moysis, nubis, & maris una & eadem sit natura. Neque igitur naturæ unitas necessario in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto colligitur ex Matth. c.28.

Sed cum Christus citato in versu nihil apponat, quo se, vel Spiritum Sanctum Patre inferiorem esse significet, Sociniani profecto vanam falsamque expositionem adducunt. Sicut itaque in Patris nomine baptizari dum dicimur, denotatur, quod Patrem veluti baptismi & gratiæ auctorem, adeoque uti verum Deum, agnoscimus, summumque illi cultum promittimus, & exhibemus; ita de Filio, & Spiritu Sancto pariter dicendum est, si nullo intercedente discrimine in trium nomine baptisma suscipimus.

Neque id obstat, quod ex epist. 1. ad Cor. objectum est: non enim ibi legitur, quod Israelitæ baptizati fuerint in nomine Moysis, & nubis, & maris; sed *in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*: quod idem est, ac Israelitas duce Moyse iter ingressos esse sub nube, & per mare; sicque futurum Christi baptisma præfiguratum est, quatenus sicuti columna nubis ab æstu protegebat Hebræos, ita & nos per Christi baptismum cœlestis gratiæ rore perfundimur; & sicuti mare demersit Ægyptios, ita peccata nostra in Christi lavacro merguntur. Quid vero designet, baptizari in

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, superius dictum est.

Respondent ulterius, quod nos non per divinam Personam abluamur, sed per Dei gratiam ac virtutem, qua peccata delentur: ex eo igitur, quod baptizemur in nomine Spiritus Sancti, non sequitur, quod ille in propria personalitate subsistat.

At Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres nempe Personæ eandem habentes essentiam, sunt efficiens causa nostræ spiritualis ablutionis & justificationis, gratia vero formalis causa est illius effectus. Ceterum si Spiritus Sanctus non divina Persona, sed mera esset virtus, versiculus ille ineptum hunc sensum redderet, quod nempe in virtute virtutis homines baptizentur. Sed quod Spiritus Sanctus suam habeat subsistentiam, qua a Patre, Filioque realiter sit distinctus in unitate substantiæ, ex infra dicendis manifestius apparebit.

Alius hic scrupulus remanet eximendus. In sui agone fidelis anima commendatur, ut de hoc mundo proficiscatur ad Deum, nedum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; sed & *in nomine Angelorum & Archangelorum, in nomine Thronorum & Dominationum &c.*, quæ in appendice Breviarii Romani leguntur. Tum consuetudo etiam forensis invaluit, ut nedum Principis, sed & Magistratus nomine leges & sententiæ proferantur: & tamen Magistratus, & Principis non una auctoritas est, sicut Angelorum & Dei diversa est natura, & diversa potestas. Ergo illud *in nomine* quod Matth. 28. legitur, unitatem substantiæ non designat.

Responsio est, quod in oratione qua commen-

mendatur anima, illud *in nomine* denotat invocationem; modo æquum & salutare est, ut nedum Deum, sed & sanctos Angelos, hominesque in auxilium nostrum votis precibusque vocemus. In forma vero baptismatis τὸ *in nomine* præter invocationem significat etiam auctoritatem summam, ac præcipuam potestatem, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto est; ob quod fidem eis omnem, & obsequium, & obedientiam devovemus; uti scilicet postulat æquitas, quod homo se gerat erga Deum qui gratiæ auctor est, & baptismatis institutor.

Ad alterum respondemus, quod ubi Princeps suprema potestate potitur, non recte quis diceret: *In nomine Regis ac Magistratus istud illudque præcipitur:* hæc enim consuetudo ibi tantum obtinet, ubi Magistratus cum Principe divisum habet imperium, propter aristocraticam scilicet politiam: proindeque ad rem non pertinet argumentum.

Probatur 3. ex epist. 1. Joannis c. 5. v. 7., ubi legitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt*. Est ergo perspicuum, quod tres sint personæ, & una Divinitatis essentia.

Sociniani, quibus hac in parte Richardus Simon, & Erasmus adhærent, præfatum versum autographum non esse contendunt primo, quia in pluribus antiquis Exemplaribus tum Græcis, tum Latinis versus ille non legitur: secundo, quia veteres utriusque Ecclesiæ Patres, & priora Concilia; quorum doctrina ac definitione, Sabellii, Arii, Macedonii, aliorumque profligatæ sunt hæreses hujusce testimonii altum servant ubique silentium.

Ac

At cum in antiquioribus, & melioris notæ codicibus reperiatur ille versiculus, uti nedum Catholici, sed Lutherani etiam, & Calviniani testantur; cum insuper in Græca, Latinaque Ecclesia publice nunc legatur; cum denique Sacrosancta Tridentina Synodus eundem versum authenticum esse decreverit, sicuti ex Sessione IV. in decreto de Canonicis Scripturis evincitur: profecto non modicæ temeritatis, & ignorantiæ erit indicium, fidem laudato textui non præbere.

Extat itaque versus ille in pervetusto Britannico Codice, cujus auctoritatem ipsemet Erasmus in tertia editione novi Testamenti laudavit. Habetur etiam in antiquissimis Exemplaribus, quos consuluere Auctores Complutensis editionis anno 1517. Reperitur pariter in optimis Codicibus, quos legerunt Laurentius Valla, Robertus Stephanus, Lucas Brugensis, Hesselius, aliique emunctæ naris Critici. Lege Augustinum Calmet in dissertatione de tribus Testibus artic. 2.

Quod autem in quibusdam Codicibus versus ille non sit inventus, id Amanuensium vitio, incuria, nimiaque in exscribendo celeritate contigisse non improbabiliter affirmatur. Cum enim hæc verba: *Tres sunt, qui testimonium dant*, laudato in capite bis legantur, in versu scilicet 7. & 8.; facile is qui transcribebant, errante oculo ad 8. versum transiit, & 7. prætermisit. Quod in aliis etiam Scripturæ locis accidisse, notissimum est.

Cum ergo aliquod ex prioribus Exemplaribus per Amanuensium negligentiam corrumpi potuerit; inde evenit, ut cetera Exemplaria, & Versiones quæ ab illo depromptæ sunt, ci-

tarum versum vel nullatenus afferant, vel imperfectum mutilumque non uno modo contineant. Et quia prima Christianorum ætas assiduis persecutionibus vexabatur, difficulter Exemplaria poterant cum originali textu conferri; contigitque, ut corrupta Exemplaria vulgarentur, & correctiora Exemplaria quæ versum illum habebant, in suspicionem vocarentur fraudis, vel erroris. Plures hinc fluxerunt anni priusquam defectus Codicum agnosceretur; nam subobscure primum ab aliquibus notatus est, & margini adjunctus; deinde re clarius inspecta, in ipso textu locum obtinuit; ad normam scilicet plurium, antiquiorum, meliorumque Codicum, quibus fides omnino negari non potuit: quapropter a tribus ferme sæculis utraque Ecclesia, Græca scilicet & Latina, convenit, & uti canonicum versum illum admisit.

Sed & id quoque reponi potest, quod nimirum Arianorum fraude laudatus versus a Codicibus sit expunctus. Temeratas enim ab Arianis fuisse Scripturas, docent Ambrosius tum alibi, tum in lib. 3. de Spiritu S. c. 10., & Auctor Prologi in Epistolas Canonicas qui S. Hieronymo tribuitur, aliique.

Ex dictis apparet ratio, cur Patres aliqui hunc textum hæreticis non objecerint. Vel enim mutilos Codices habuerunt, vel noluerunt de illius auctoritate contendere; cum aliunde facile possent Arianos, aliosque hæreticos refutare. At fuere tamen Patres alii, qui prædictum versum, uti genuinum divinumque laudarunt. Citant namque illum Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ, & Fulgentius Ruspensis Episcopus in libro Responsio-

ſionum contra Arianos Reſp. 10., & Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis in Profeſſione fidei, quam conſentientibus aliis 400. Epiſcopis edidit, obtulitque Hunnerico Regi Ariano anno 484., uti refert Victor Vitenſis in lib. 3. de perſecutione Vandalica. Illum quoque recenſet Vigilius Tapſenſis Epiſcopus in lib. 2. Altercationum adverſus Arium, Sabellium, & Photinum n.45. & in lib. ad Varimadum c. 5.; quod tamen opus in Bibliotheca Patrum Idacio Claro Hiſpano Epiſcopo tribuitur: floruit vero Idacius ante Vigilium. Refert & illum Caſſiodorus in libro Complexionum, quas edidit vir cl. Scipio Maffei. Caſſiodorus autem ſumma cura magniſque ſumptibus antiquos Bibliorum Codices collegit, contulit, emendavit; uti conſtat ex ejus lib. divin. Inſtin. c. 8. Denique Innocentius III., & IV. Lateranenſe Concilium hujuſce verſiculi meminerunt, ſicut & Bernardus ſerm. 1. & 2. in Octavam Paſchæ, aliique innumeri. Nefas eſt igitur auctoritatem verſus illius in dubium revocare.

Sed Sociniani illud quoque reponunt, quod etſi verſiculus ille canonicus eſſet; probari tamen ex eo non poſſet, quod cum unitate divinæ eſſentiæ conſiſteret Trinitas Perſonarum. Unitas enim de qua ibi fit mentio, ad teſtimonium tantummodo pertinet, non ad naturam. Hinc v. 8. legitur: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt*. Modo certiſſimum eſt, quod Spiritus, aqua, & ſanguis diverſam habeant naturam: ergo etiam Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus unum non ex eo dicuntur, quod ſint ejuſdem eſſentiæ, ſed

quod unum idemque testimonium de Christo perhibeant.

Respondemus, quod exempla quæ ex creaturis adducuntur, ut res divinæ monstrentur, perfectam æqualitatem habere non possunt. Cum ergo testimonium de cœlo sit testimonium Dei, debent profecto Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus unum esse quoad substantiam, tres autem quoad Personas. Quapropter sicuti Pater est verus Deus, ita de Filio, & Spiritu Sancto similiter affirmare debemus; & sicuti Pater, & Verbum sunt duæ Personæ, ita & Spiritus Sanctus suam habet personalitatem, non vero simplex est Dei virtus & energia, uti fabulantur hæretici.

Testimonium vero de terra est testimonium creaturæ, proindeque Spiritus, aqua, & sanguis unum sunt in ratione sacramenti dumtaxat & signi, quia nempe veram Christi humanitatem ostendunt: non ergo in duobus adductis versibus eadem omnino unitas indicatur. Ad hoc confirmandum conferre videtur, quod in Græco de Patre, Verbo, & Spiritu Sancto legatur: *Et hi tres unum sunt*. De Spiritu autem, aqua, & sanguine dicitur: *Et hi tres in unum sunt*, vel *ad unum sunt:* non quia nempe eandem habent essentiam, sed quia ad reddendum idem testimonium pariter ordinantur.

Pro majori autem hujusce rei claritate subjungimus, quod tres divinæ Personæ non semel de Christi divinitate testimonium reddiderunt; utputa quando in baptismo, & transfiguratione Christi, vox Patris intonuit; quando Spiritus Sanctus sub columbæ specie, vel sub ignearum linguarum forma descendit; quando

do se Christus Dei Filium passim asseruit, idque Scripturarum oraculis, multisque miraculis confirmavit.

Dicitur etiam quod Spiritus, aqua, & sanguis testimonium de Christo protulerint, quia veram in ipso humanitatem esse probarunt. Et Spiritus quidem id præstitit, quando Jesus *inclinato capite, tradidit Spiritum*; Jo. 19. v. 30. Sanguis vero, & aqua ejusdem veritatis extitere testes, quando *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua*: uti in citato cap. legitur v. 34.

Ergo Joannes in 1. epist. c. 5. vv. 7. & 8. duas refutat hæreses, quæ suo tempore grassabantur; alteram quidem Cerinthi, & Ebionis, qui divinitatem Christi negabant; alteram vero Basilidis, & Saturnini, qui veram Christi carnem & humanitatem admittere renuebant.



CAPUT III.

Argumenta dissolvit, quæ ex utroque Testamento contra Trinitatis Mysterium opponuntur.

PLura ex veteri, & novo præsertim Testamento argumenta depromunt Judæi, Sabelliani, Sociniani, aliique, qui in Deo Trinitatem impugnant. Nos hic ea tantum enodanda proponimus, quæ sacrosancto Mysterio generatim adversari videntur; quæ vero ad denegandam Verbi, & Spiritus Sancti divinitatem specialiter adduci solent, expendenda inferius reservamus.

Objiciunt itaque 1. In veteri Testamento Dei unitas sæpissime ita describitur, ut aperte Personarum Trinitas excludatur. Hinc Deut. c. 6. v. 4. legitur: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* At si Divinitas tribus esset communicata Personis, Deus dici unus omnino non posset. Sed & Isaiæ c. 44. v. 6. hæc dicit Dominus: *Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Ubi vero plures sunt personæ, nequit idem dici primus, & novissimus. Denique eodem in cap. v. 24. subjungitur: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* At Deus Pater omnipotens cœlum terramque creavit: ergo ipse solus est Deus: ergo non plures sunt in Deitate Personæ.

Re-

Resp., quod in adductis textibus aliisque similibus divinæ quidem naturæ unitas asseratur, quin tamen Personarum Trinitas denegetur, quam veteris etiam testamenti Scriptura saltem subobscure commonstrat. Unus igitur in Deuteronomio & alibi dicitur Deus, quia falsa sunt numina quæ a gentilibus adorantur; ut; contextus evidenter ostendit. Advertunt insuper Rabbi Simeon filius Johai, & Rabbi Ibba, suo non carere mysterio, quod hoc in loco Dei nomen ter fuerit repetitum; ut scilicet cum essentiæ unitate Personarum Trinitas demonstretur. Lege Petrum Galatinum lib.2.c.1.

Item in Isaiæ c. 44. loquitur Deus contra idolorum cultores, dicitque se primum esse, quia principium est, a quo omnia procreantur; & novissimum, quia finis est, ad quem omnia referuntur: juxta quod in Apoc. c. 22. v. 13. legitur: *Ego sum Alpha, & Omega, primus, & novissimus, principium, & finis*. Lege & ejusdem libri c.1.v.8. Nihil itaque ex Isaiæ testimonio contra Personarum Trinitatem evincitur.

Denique Pater omnia creat ratione potentiæ, quæ una & eadem reperitur in Filio etiam, & Spiritu Sancto, sicut in eis una & eadem reperitur essentia. Indivisa sunt igitur opera Trinitatis, nihilque ad extra producitur, quod a tribus Personis non ex æquo dependeat; licet per quandam appropriationem Patri sicut æternitas, ita & potentia tribuatur. Sed de hoc alibi.

Objiciunt 2. Non est alter Deus, nisi is qui in veteri Testamento dictus est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: atqui Deus Abraham una tantum Persona est, ipsumque Filium a consortio divinitatis excludit. Inquit

enim Petrus Act. 3. v. 13. *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *& Deus Jacob*, *Deus Patrum nostrorum*, *glorificavit Filium suum Jesum*. Solus ergo Pater est Deus Patrum nostrorum, Deus scilicet verus & summus, qui dum Filium glorificasse describitur, diversam ab illo habere debet essentiam: non ergo Personarum Trinitas in Deo potest admitti.

Resp., quod Deus Israel glorificavit Jesum Filium suum non secundum formam Dei, cujus respectu non rapinam arbitratus est ille esse se Deo Patri æqualem; sed secundum formam servi, quam accipiens homo factus est, & Patri obediens mortis patibulum libentissime toleravit. Propter quod a Patre exaltatus est Filius, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestium, & infernorum: sicut & in objecto cap. v. 16. inquit Petrus: *Et in fide nominis ejus*, *hunc*, claudum scilicet ex utero matris suæ, *quem vos vidistis*, *& nostis*, *confirmavit nomen ejus* &c. Quia igitur consubstantialis Deo Patri Filius, ubi venit plenitudo temporis, humanam carnem assumpsit; idcirco de eo quædam aliquando dicuntur, quæ non divinæ, sed humanæ tantum naturæ conveniunt.

Objiciunt 3. Sociniani, quod Jo. c. 17. v. 3. Christus ait: *Hæc est autem vita æterna*, *ut cognoscant te solum verum Deum*, *& quem misisti Jesum Christum*. Adnotat modo Crellius in lib. 1. *De uno Deo Patre* sect. 1., quod veri Dei nomine summum intelligi nemo dubitat: quare cum Christus Patrem suum ita describat, ut eum solum verum Deum appellet; patet profecto, quod Christi Pater solus sit Deus ille summus. Illud enim adjectivum

so-

solus a communione prædicati, nempe *veri Dei*, Filium, & Spiritum Sanctum excludit, & dumtaxat Patrem cui apponitur, verum Deum esse demonstrat.

Resp., quod uti ex Græco textu apparet, vox illa *solum* μόνον non ad pronomen Σὲ *Te* pertinet, sed ad id quod sequitur, nempe *verum Deum* ἀληθινὸν Θεόν. Legitur enim: Σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Ille igitur articulus τὸν inter Σὲ, & μόνον appositus hunc laudato textui sensum attribuit: *Hæc est vita æterna*, modus scilicet quo æterna salus acquiritur, in eo consistit, *ut cognoscant*, id est, ut practica fide credant homines, *Te*, *illum solum verum Deum*. Quo nimirum sensu a prædicati communione non nisi vana gentilium numina excluduntur, quibus non convenit vera divinitas; Filius autem, & Spiritus Sanctus, quia eandem cum Patre habent essentiam, ipsi etiam cum Patre in hisce vocibus designantur, *Solum verum Deum*. Hinc & de Filio scribit Jo. in epist. 1. c. 5. v. 20. *Hic est verus Deus, & vita æterna*. Quod idem de Spiritu Sancto dici debet, ut infra late probabimus.

Illud ergo quod sequitur: Et cognoscant *quem misisti Jesum Christum*; a communione veræ divinitatis Personam Filii non excludit; sed significat, quod ille factus homo propter nostram salutem de cœlo descenderit, & quod fides SS. Trinitatis, & Incarnationis Filii Dei ad vitæ æternæ consecutionem necessario requiratur.

Ex dictis apparet etiam illud, quod licet vox ista *solum* referenda esset ad Patrem, non ad verum Deum; nihilo tamen minus divinitatis honore non Filius, neque Spiritus Sanctus,

ctus, sed dii dumtaxat gentium privarentur. Sicuti dum de Christo inquit Petrus Apostolus Act. c. 4. v. 12. *Et non est in alio aliquo salus;* non propterea Patrem excludit: ita neque Filius, neque Spiritus Sanctus in objecto Joannis testimonio excluduntur; non enim illi diversam habent a Patre substantiam.

Objiciunt 4. In epist. 1. ad Cor. c. 8. v. 6. scribit Paulus: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Solus ergo Pater est Deus; alioquin Apostolus Spiritum Sanctum non omisisset, neque Christum, tanquam a Patre diversum, Domini dumtaxat nomine designasset.

Resp., quod sicuti non excluditur Pater, dum Christum unum Dominum appellat Apostolus; ita neque Filius excluditur, dum unius Dei nomine Patrem insignit. *Neque ergo*, inquit Chrysostomus hom. 20. in hunc locum, *nomina tanquam sorte distributa divisit* Paulus, *Filio quidem, Dominus, Patri vero, Deus, attribuens. Nam ea quoque solet sæpe mutare Scriptura, ut cum dicit* Psalmo 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo; & rursus* Psalmo 44. v. 8. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus:* & Rom. 9. v. 5. *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus. Et sæpe videris hæc mutata nomina.*

Pater itaque unus Deus, & Filius unus Dominus appellatur ad exclusionem eorum, qui dii quidem dominique dicuntur, at simplices sunt creaturæ. Hinc v. 5. præcedit: *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, & domini multi:) Nobis tamen unus Deus &c.* Corinthios enim

enim nuper ad Christi fidem conversos instanter hortatur Apostolus, ut idolorum cultum ex animo detestentur: & idcirco eis, tanquam in Christo parvulis, altissima nostræ fidei mysteria non statim ab ipso conversionis initio reseravit. Lege c. 3. ejusdem epist. vv. 1. & 2. Unde Chrysostomus citato in loco subjungit: *Ut ostenderet* Paulus *non esse apud nos multiplicitatem deorum, ideò illud, unus, assidue retinet dicens, Non est Deus alius nisi unus; & Nobis unus est Deus & unus Dominus. Unde manifestum est illum, auditorum infirmitati parcentem, hoc arguendi modo usum esse, ideoque Spiritum non memoravisse.* Hæc modo sufficiant, nam infra prolixius de præsenti controversia differemus.

CAPUT IV.

Num ex antiqua Traditione Trinitatis Mysterium demonstretur?

PRopositio. Trinitatis Mysterium ex Patrum traditione perspicue comprobatur.

Probatur. Et sane S. Ignatius qui sub Trajano martyrium consummavit, in epist. ad Magnesianos hæc inter alia scribit: *Omnia quæ facitis, prospere vobis succedant, carne & spiritu, fide & charitate, in Filio & Patre & Spiritu Sancto.* Nostram igitur justificationem Ignatius tribus Personis indiscriminatim attribuit; proindeque Trinitatem in Unitate fatetur.

S. Po-

S. Polycarpus qui etiam secundo sæculo floruit, referente Eusebio in lib. 4. H. E. c. 15. morti proximus ita Patrem oravit: *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc & in sæcula sæculorum. Amen.* Æqualis ergo gloria a S. Martyre Patri, & Filio, & Spiritui Sancto tribuitur; adeoque docet ille, unam in tribus esse substantiam.

Justinus etiam in Apologia 2. scribit: *Hunc ipsum*, Patrem scilicet, *& qui ab eo venit.. Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus cum ratione & veritate venerantes.* Si non diversus est cultus, ergo neque trium est diversa natura.

Accedit & Athenagoras ejusdem II. sæculi Cl. Philosophus, qui in Apologia pro Christianis hæc habet: *Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum Sanctum; tria quidem secundum potentiam; Patrem, Filium, & Spiritum; actu vero & essentia unum. Filius enim Patris mens, verbum, & sapientia est; & ab eodem Spiritus, ut lumen ab igne, profluit.* Quo sane nihil clarius, ut catholica demonstretur assertio, quam alii etiam Græci Patres perpetuo docuerunt. Lege Theophilum Antiochenum in lib. 2. ad Autolycum, Irenæum in lib. 1. adversus hæreses c. 10., Dionysium Alexandrinum &c.

Neque Latini Patres a Græcis hac in re ullo modo dissentiunt, uti constat ex Tertulliano in lib. contra Praxeam c. 11., ex Cypriano in lib. 2. testimoniorum adversus Judæos c. 6., ex Dionysio Romano Pontifice in epist. con-

contra Sabellianos &c. Hinc Nicænum Concilium, uti scribit Theodoretus in lib. 1. H, c. 8., Trinitatem Personarum ac Verbi divinitatem adversus Arium nedum ex Scripturis, sed etiam ex non interrupta Veterum traditione defendit.

Quapropter verissime Nyssenus hac de re scribit in Orat. 3. contra Eunomium: *Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos traditionem, velut hæreditatem quandam, per successionem ex Apostolis per Sanctos sequentes transmissam*.

Denique S. Augustinus in lib. 1. de Trin. c. 4. ait: *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, divinorum librorum veterum & novorum Catholici Tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus*. Et quia in dubium revocari omnino non potest; quod Patres illi qui post Nicænum floruere Concilium, Trinitatem Personarum cum Essentiæ unitate docuerint; idcirco a recensendis eorundem testimoniis abstinemus. Lege P. Berti in lib. 7. c. 5.

Objicies 1. Nunquam Gentiles opposuere Catholicis pluralitatem deorum, & argumenta alia, quæ Trinitatis mysterium impugnare ex naturali ratione videntur: ergo primi temporis Ecclesia Trinitatis dogma non novit.

Resp. 1., non extare nunc libros omnes, quibus Gentiles catholicæ fidei doctrinam evertere, & Nostri eandem tueri conati sunt. 2. pru-

prudenti disciplina veteres Christiani nostræ Religionis dogmata Gentilibus abscondebant, ne eadem profanarent; imo nec ipsis Neophitis omnia statim fidei mysteria revelabant. 3. demum oppido falsum est, quod nunquam Ethnici primis Catholicis pluralitatem Deorum objecerint, & absurda alia quæ ex Trinitatis mysterio consequi posse videntur: ita namque argumentari consuevisse Gentiles, aperte constat ex Tertulliani libro contra Praxeam, & ex libris Origenis contra Celsum. Lege etiam Apologiam 1. Justini, & Apologiam Athenagoræ, & Cyrilli libros contra Julianum Apostatam.

Objicies 2. Ecclesiæ Patres, ut mysterium Trinitatis exponant, exempla ex creatis rebus adducunt. Sæpe enim asserunt, ita Filium a Patre, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere, uti radius a sole, & calor ab igne, & amor ac verbum a rationali anima producuntur. Imo quandoque talem illi in tribus Personis naturæ unitatem agnoscunt, qualis in pluribus hominibus invenitur. Non ergo Patres perfectam, simplicem, ac numericam divinæ naturæ unitatem in tribus asseruere Personis, qualem postea Romanæ communionis Theologi tam acriter propugnarunt.

Resp., quod utique Patres dum de Trinitate loquuntur, exempla ex creaturis assumant; non tamen ad hoc ut omnimoda paritas ingeratur, sed ut mysterium quod creatæ mentis intelligentiam superat, aliquatenus illustretur. Eo itaque fine adductis utuntur exemplis, ut ostendant, quod Filius & Spiritus Sanctus a Patre, veluti a primo originis principio, & a quodam veluti divinitatis fonte procedant, quia

quin separentur ab ipso ; quemadmodum neque radius a sole, neque ignis a calore disjungitur. Et sicuti intellectus noster verbum, & voluntas producit amorem; ita Filius ex divino intellectu, & Spiritus Sanctus ex divina voluntate procedunt: licet isti in propria personalitate subsistant, secus ac in creatis verbo & amori contingat. Ajunt insuper, quod sicut homo filium sibi similem & æqualem in natura producit, ita & Dei Filius non est Patre inferior, sed eidem prorsus æqualis: licet humana natura in patre & filio numerice dividatur, non sic autem divina; & ideo tres deos, aut tres dominos dicere ex catholica Religione, & ex Patrum sententia prohibemur. Lege S. Athanasium in Oratione contra Arianos n. 3. Nihil igitur ex argumento colligitur, sed potius oppositum demonstratur.

Objicies 3. Græci Patres sæpe tres in Deo substantias esse dixerunt; uti patet ex Augustino in lib. 7. de Trin. c. 4., ex Hilario in libro de Synodis &c. Atqui id cum doctrina quam de Trinitatis mysterio Romana nunc tradit Ecclesia, componi non potest.

Resp., Græcos per substantiæ nomen personam, non essentiam designasse. Ut enim laudato in loco n. 8. scribit Augustinus: *Quod de Personis secundum nostram, hoc de substantiis secundum Græcorum consuetudinem, ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres substantias, unam essentiam, quemadmodum nos dicimus tres Personas, unam essentiam vel substantiam*. Simili etiam modo S. Hilarius in citato libro Antiocheni Concilii mentem exponit.

CAPUT V.

An creata mens per naturæ rationem ad Trinitatis scientiam valeat pervenire?

QUinto sæculo Claudianus Mamertus Viennensis Ecclesiæ Presbyter affirmavit, quod Plato mirabili ingenio unum Deum, & tres in Divinitate Personas esse probaverit. Petrus item Abaelardus sæculo XII. auditoribus suis omnium rerum scientiam promittebat, earum etiam, *quæ sublimiora & sacratiora profundo illo sinu sacræ fidei continentur*; uti scribit S. Bernardus in epist. 190. ad Innocentium c. 1. Labente insuper sæculo XIII. Raymundus Lullus asseruit, quod Trinitatis mysterium clare & evidenter ostendi possit per demonstrationem *æquiparantiæ*, petitam scilicet ex propositionibus, quæ in certitudine & evidentia sunt æquales. Putarunt denique alii de quibus scribit Tournely in quæst. 1. de Trinitate a. 1., quod licet naturæ ratio ex sese nequeat ad tanti mysterii notitiam pervenire; supposita tamen revelatione ac fide valeat illud evidenter ac necessario demonstrare.

At communis Theologorum assertio est, quod nemo per naturalis ingenii aciem valeat Personarum in Deo Trinitatem agnoscere, aut illam, supposita etiam revelatione, ullatenus demonstrare; licet possint Catholici omnia dissipare sophismata, quæ adversus istud fidei no-

stræ

stræ mysterium ex naturali ratione & philosophia ab incredulis opponuntur. Primam assertionis partem hoc in capite ostendemus, alteram autem in sequente: Sit igitur

Propositio. Nemo potest per naturæ rationem divinarum Personarum Trinitatem agnoscere, neque fide imbutus potest humanis argumentis incomprehensibile mysterium positive, ut inquiunt, demonstrare.

Probatur. Matth. c. 11. v. 27. dixit Christus: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Non ergo naturali ratione Trinitas demonstratur, si revelatio divina requiritur, ut Patrem, & Filium cognoscamus.

Accedit quod postquam Petrus præclaram confessionem illam edidit Matth. 16. v. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; eidem Christus v. 17. sic respondit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Ex quo Chrysostomus hom. 55. in Matth. ita recte subinfert: *Non ergo possumus aliunde cognoscere Filium, quam a Patre; nec Patrem aliunde, quam a Filio.*

Sed & Patres alii eandem veritatem apertissime docuerunt. Nam S. Hilarius in lib. 2. de Trin. n. 9. loquens de Verbi generatione sic ait: *Ego nescio, non requiro; & consolabor me tamen, Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum.*

Augustinus in lib. 15. de Trin. c. 6. scribit: *Quis disputandi modus, quænam tandem*

vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ... quomodo sit Trinitas?

Fulgentius in lib. 2. ad Trasimundum c. 1. inquit: *Sola immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incomprehensibilitatis digna miraculo, quæ sic excedit omne quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne quod sumus*. Docent hoc ipsum alii etiam Patres, & præsertim Epiphanius hæresi 76., Ambrosius in lib. 1. de fide c. 10., Bernardus lib. 5. de consid. c. 8.

Accedit & ratio. Omnis cognitio quam natura suppeditat, vel ex rei causa oritur, vel ex effectu: atqui Trinitatis nulla causa est; Dei vero effectus, creaturæ videlicet, non a proprietatibus Personarum, sed ab unitate essentiæ & potentiæ producuntur; unde tres divinæ Personæ non triplex, sed unum sunt ac simplex cujuslibet creaturæ principium. Lege S. Thomam in p. 1. q. 32. a. 1.

Neque Trinitatis mysterium ostendi potest per demonstrationem, quam æquiparantiæ vel æquivalentiæ Lullus appellat; ut enim ait Seraph. Doctor in 1. d. 3. p. 1. a. unico q. 4., *Pluralitas Personarum cum unitate essentiæ est proprium divinæ naturæ solius, cujus simile nec reperitur in creatura, nec potest reperiri, nec rationabiliter cogitari: ideo nullo modo Trinitas Personarum est cognoscibilis per creaturam, rationabiliter ascendendo a creatura in Deum*.

Tandem neque hic ad ingenitam ideam appellare quis poterit; cum eam in nobis esse, certa nequeat ratione probari. Ceterum illi etiam qui insitam Dei ideam cum Cartesio statuunt, non relativa, sed absoluta tantummo-

modo prædicata per illam nos attingere confitentur.

Ergo ex feipfa nequit humana ratio ad Trinitatis intelligentiam pervenire, neque fuppofita fide poteft myfterium iftud pofitiva, efficaci, & evidenti demonftratione firmare. Fides enim naturalem vim mentis & ideas non immutat, nullumque inducit effectum qui clare ac neceffario cum altiffimo myfterio connectatur; fed id unice præftat, ut rebus quæ non apparent, propter folam revelantis auctoritatem præbeamus affenfum.

Objicies 1. Deus eft fumma veritas: atqui fumma veritas cognofci facile poteft: ergo naturalis ratio Deum cognofcere facile poterit, non tantum ut ille unam habet effentiam, verum etiam ut Perfonarum pluralitatem includit. Hinc Deus ipfe Ifaiæ c. 66. v. 9. ex naturali ratione Filium fe generare demonftrat, inquiens: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipfe non pariam, dicit Dominus? fi ego, qui generationem cæteris tribuo, fterilis ero, ait Dominus Deus tuus?*

Refp. ex dictis, quod Deus utique in feipfo fumma gaudet veritate, ac intelligibilitate fruitur infinita: at mens noftra finita cum fit, corporeifque fenfibus alligata, licet ex effectibus argumentando valeat in cognitionem effentialium perfectionum afcendere; nullo tamen modo poteft Trinitatem Perfonarum agnofcere, cum in rerum univerfitate nullus inveniatur effectus, qui cum relativis Dei attributis neceffario, uti effectus cum caufa, copuletur. *Propria Perfonarum*, inquit Doctor Angelicus in quæft. 10. de veritate a. 13., *funt relationes, quibus Perfonæ non ad creaturas, fed ad in-*

invicem referuntur : unde naturali cognitione in propria Personarum devenire non possumus .

In objecto autem textu non loquitur Deus de naturali Filii sui generatione, sed de multiplicatione Fidelium , quos per Christi gratiam sibi filios adoptavit . *Parturivit , & peperit Sion filios suos . Numquid ego , qui alios parere facio* &c. Et licet aliquando Patres laudata verba per quandam congruentiam ad declarandam Verbi generationem accommodent ; illam tamen non evidenter ostendunt , cum posset Deus per omnipotentiam suam res producere , eisdemque fæcunditatem impertiri , quamvis ipse consubstantialem sibi Filium non haberet .

At dices . Deus naturam omnem excedit , non tantum ut trinus est , verum etiam ut est unus , & absolutas perfectiones includit : ergo vel ille sub nullo respectu cognoscitur , vel si cognoscitur ut unus, cognosci etiam debet ut trinus .

Resp., quod licet Deus in seipso sit ens supernaturale , adeoque intuitive cognosci a naturali & finita mente non possit ; dum tamen de abstractiva loquimur cognitione , quam ex effectibus habemus , non omnes Dei effectus sunt supernaturales, sed eorum plures intra naturæ ordinem continentur : ex istis autem cognoscuntur quidem Dei unitas , & potentia , absolutæque perfectiones , quibuscum effectus hujusmodi connectuntur ; at non cognoscitur Trinitas Personarum , quæ neque cum naturalibus , neque cum supernaturalibus effectibus copulatur .

Objicies 2. Sancti Patres ut Trinitatis mysterium declararent , varias adduxerunt similitu-

tudines, quæ in intellectuali, & in sensibili etiam creatura relucent. Usi enim quandoque sunt exemplo mentis humanæ quæ una licet sit, meminit sui, & seipsam diligit, ac cognoscit. Exemplum etiam Solis adhibuerunt, in quo splendor simul invenitur, & calor, & motus: aliæque ab illis excogitatæ sunt imagines, quibus in Deo essentiæ unitas, & Personarum Trinitas demonstratur.

Confirmatur argumentum. Et sane hominem ad Dei imaginem, & similitudinem esse factum, nemo unus ignorat: in qualibet etiam corporea creatura Trinitatis vestigium inveniri, in sacra Theologia certissimum est. Unde S. Augustinus in lib. 15. de Trin. c. 2. adducit illud ex Sap. c. 13. v. 5. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri:* deinde subjungit: *Hæc de libro Sapientiæ propterea posui, ne me fidelium quispiam frustra & inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis trinitates quodammodo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsisse indicia summæ illius Trinitatis, quam quærimus cum Deum quærimus.* Ex rebus igitur hisce creatis nedum Dei existentia & unitas, verum & Personarum Trinitas evidenter agnoscitur.

Resp., quod adductæ similitudines non ex seipsis pluralitatem Personarum in Deo demonstrant, sed supposita fide nonnihil mysterium istud illustrant. Prius enim rem cognoscere aut credere debemus, ut illam postmodum aliqua similitudine declarare possimus. Hinc qui Regem vel leonem nunquam vidit, nihilque de illis vel audivit aliquando vel legit, ex sola imagine Regem vel ex solo vestigio leonem nos-

 se

se non poterit, neque omnino percipiet hæc ipsa in se aliquarum rerum similitudines continere. Ita pariter qui divinarum Personarum Trinitatem prorsus ignorat, ejus imaginem in rationali creatura, & vestigium in corporeis rebus invenire non potest; si vero fide fuerit imbutus, in hisce rebus imaginem aliquam & quædam vestigia deprehendet, per quæ præconcepta fides possit aliquantulum confirmari. Quapropter egregie scribit Augustinus in lib. 15. de Trin. c. 24., aliquos videre mentem suam, *quomodo videri potest; nec tamen eam credunt, vel intelligunt esse imaginem Dei: speculum quidem vident, sed usque adeo non vident per speculum, qui est per speculum nunc videndus, ut nec ipsum speculum quod vident, sciant esse speculum, idest imaginem.*

Sed & idem S. Doctor sæpe fatetur, magnum versari discrimen inter summam Trinitatem, ejusdemque nedum vestigium quod imperfecte exprimit, verum & imaginem quæ in spirituali creatura resplendet. Unde in lib. 15. de Trin. c. 22. sic ait: *Verum in illa summa Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut cum Trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus dicatur, & sit. Nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus. Nec rursus quemadmodum ista imago, quod est homo habens illa tria, una persona est, ita est illa Trinitas: sed tres Personæ sunt Pater Filii, & Filius Patris, & Spiritus Patris, & Filii.* Ex quibus profecto satis superque patet, quænam hac super re fuerit Augustini sententia.

Objicies 3. Naturali ratione cognoscimus, quod

quod Deus sit infinite bonus, adeoque quod infinito modo communicare se debeat; vulgo enim dicitur: Omne bonum est sui diffusivum. Ergo cum Deus seipsum infinito modo ad extra communicare non possit, necessario ad intra infinita perfectione se communicabit, per productionem scilicet Personarum.

Et sane etiam revelatione non posita evidenter apparet, quod seipsum Deus cognoscat, & amet; & quod intellectio illa & amor accidentia non sint, neque diversam possint habere substantiam: ergo naturali ratione percipimus, quod subsistens intellectus, & personalis amor inveniatur in Deo; Filius scilicet, & Spiritus Sanctus, qui ab alio, nimirum a Patre, procedant.

Resp., quod licet ostendat humana ratio, Deum infinita bonitate pollere; non tamen attingit, quod seipsum infinito modo communicet per productionem Filii & Spiritus Sancti, qui a Patre realiter sunt distincti, habent tamen eandem cum illo naturam. Cum enim ex creaturis appareat, quod unius naturæ unum sit suppositum; inde humana ratio sibi relicta concludet, quod sicuti Deus unam habet naturam, ita non Trinus, sed unus esse debeat in Persona.

Neque ex hoc divinæ bonitati præjudicium ullum infertur; ut enim ait Doctor Angelicus in p. 1. q. 32. a. 1. ad 2. *Bonitas infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ; quia infinitæ virtutis est ex nihilo producere. Non enim oportet, si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat; sed quod secundum modum suum recipiat divinam bonitatem.*

Ergo quamvis naturaliter cognoscamus, quod in Deo sit essentialis intellectio, & amor; prout nempe absolutæ sunt perfectiones, quæ ab essentia vel nullatenus, vel tantum formaliter distinguuntur: nosse tamen omnino non possumus intellectionem & amorem notionalem; secundum scilicet relationis conceptum, quo Trinitatem in Deo constituunt. Sicut igitur Filius & Spiritus Sanctus intelligunt & amant, quin Personas alias sua intellectione & amore producant: ita qui per fidem non esset edoctus, assereret, Deum quidem intelligere & amare seipsum; quin inde colligeret, quod intellectio, & amor in Deo duplicem subsistentem ac personalem terminum haberet.

Dum itaque S. Thomas, S. Bonaventura, aliique Theologi de Trinitatis mysterio disputantes, ejuscemodi adhibent rationes: Quicunque intelligit & amat, intra seipsum suæ intellectionis & amoris terminum producit: & in Deo est summa charitas quæ necessario tendit in alterum: & nullius boni est jucunda possessio, si alterius consortio careat &c.: dum inquam eo modo loquuntur, non demonstrationis, sed congruentiæ rationes intendunt afferre; ut nempe supposita fide suadeant, Trinitatis mysterium nullam in se contradictionem involvere. Nam etsi Trinitas in Deo non esset, ejus Essentia, tanquam principale & motivum objectum, intellectionem & amorem perfectissime terminaret; quin oporteret, ut notionales termini per productionem existerent. Et quia in Deo sola essentialis bonitas est *formale* objectum amoris, ille seipsum diligendo esset perfecte beatus; licet amor ad plures personas sub assignata charitatis ratione

non

non tenderet. Denique seipsum Deus intelligendo & amando jucundissime ac perfectissime possideret, etsi plures in eo Personæ non essent; ratione videlicet infinitæ & absolutissimæ bonitatis, quæ sicuti in una natura est, ita in una posset esse Persona.

Objicies 4. Quamplures Gentium Philosophi per naturale lumen præclara quædam de summa Trinitate scripserunt, ita ut nonnulli Patres eorum testimonia recitent, & commendent. Sane S. Augustinus in lib. 7. Confess. c. 9. refert, se in Platonicorum libris legisse, *multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Mercurius etiam Trismegistus in Pimandro, & Zoroastres in Magicis agnoscunt plures in Deo esse Personas. Item Aristoteles in ternario numero Divinitatis symbolum deprehendit; scribit enim in lib. 1. de cœlo & mundo textu 2. *Per hunc numerum adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata*. Tandem Sibyllæ de Christi divinitate non obscura ediderunt oracula. Ergo.

Resp., quod Ethnici qui de divinarum Personarum Trinitate aliquid affirmarunt, id vel ex sacrorum librorum lectione, vel ex traditione Majorum, vel ex Hebræorum consortio nosse potuerint. Testantur hoc Patres, qui dum ex Gentilium libris Personarum Trinitatem in Deo demonstrant; non id eo animo faciunt, quod existiment, accuratam ab illis de incomprehensibili mysterio traditam fuisse doctrinam; sed quod adversus Ethnicos argumento, ut dicunt, ad hominem nitantur evince-

ce-

cere, pluralitatem Personarum in divina natura non esse negandam, cum illorum Philosophi rudem saltem aliquam & subobscuram hujusce mysterii cognitionem habuerint. Ceterum simplicissimam Divinitatis essentiam cum Personarum Trinitate vel ipsos ignorasse Platonicos, conceptis verbis affirmant Cyrillus Alex. in lib. 8. contra Julianum, Augustinus in lib. 13. de Civ. D. c. 16., aliique Patres.

Opera Trismegisti, & Zoroastris uti suppostitia ab Eruditis habentur, neque veram perfectamque doctrinam circa Trinitatis mysterium manifestant. Lege P. Berti in lib. 9. c. 1. Quod autem ex Aristotele objectum est, inquit Angelicus Doctor in p. 1. q. 32. a. 1., *non est sic intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis; sed vult dicere quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis & orationibus, propter quandam ternarii numeri perfectionem*. Hujusce enim numeri præstantia in eo consistit, quod ob triplicem unitatem, principii, medii, & finis in seipso exprimat rationem.

Tandem oracula Sibyllarum vel spuria sunt, & conscripta post Apostolorum ætatem, vel si genuina ea esse contenderis, reponemus, quod Sibyllæ divinitus mysteria & futura cognoverint: adeoque contra assertionem nostram nihil inde concluditur. *Sibyllarum insigne*, scribit Hieronymus in lib. 1. contra Jovinianum, *virginitas, & virginitatis præmium divinatio*.

Finem denique ponimus quæstioni, subjungendo auream hac super re S. Thomæ doctrinam, quam tradit ille in p. 1. q. 32. a. 1. in conclusione, ubi adnotat: Quod *qui probare ni-*

nititur Trinitatem Personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est ut sit de rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt, unde Apostolus dicit ad Hebræos 11., *quod* fides est de non apparentibus : *Et Apostolus dicit* 1. *Cor.* 2. *c.* Sapientiam loquimur inter perfectos ; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ est abscondita. *Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem : cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quæ non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium; credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipiunt : apud alios vero, sufficit defendere, non esse impossibile quod prædicat fides.*



C A-

CAPUT VI.

Diluit argumenta quæ ex naturali ratione promuntur, & Trinitatis mysterium impugnare videntur.

QUod Trinitatis mysterium humana sit ratione superius, præcedens caput aperuit; at cum una sit veritas, nequeunt quæ ad fidem pertinent, humanæ rationi esse contraria: & ideo hic pro instituti methodo principaliora sophismata diluemus, quibus Trinitatem Personarum ex Philosophia & humana ratione tum veteres, tum recentiores Unitarii impugnare tentarunt.

Objiciunt itaque 1. Si in Deo essent tres Personæ realiter distinctæ, tres quoque dii esse deberent. Sicut enim juxta Trinitariorum sententiam ita argumentando recte concluditur: Pater est divina Persona, Filius est divina Persona, Spiritus Sanctus est divina Persona; tres igitur sunt divinæ Personæ: sic pari etiam ratione hæc altera valeret illatio: Pater est Deus ille summus, Filius est Deus ille summus, Spiritus Sanctus est Deus ille summus; tres ergo sunt Dii summi. Atqui argumentum istud humanæ rationi repugnat; ergo repugnat & illud, quo Personarum Trinitas demonstratur.

Resp., quod tres Personæ tres etiam dii essent,

sent, si sicut in creatis accidit, ad Personarum multiplicationem ipsa quoque multiplicaretur divina natura. At cum hæc unitatem summam habeat & simplicitatem; est enim perfectissima & infinita; idcirco eadem numero & penitus indivisa in tribus Personis existit. Ex primo igitur argumento rite descendit, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint tres divinæ Personæ; licet non recte deducatur ex altero, quod illi sint tres Dii.

At dices. Sicut in Deo multiplicari natura non potest, ita neque persona; oportet enim, ut in Deo nedum natura, sed & persona infinitatis & simplicitatis perfectione fruatur: utraque igitur divisionis est incapax, & sicut una est Dei natura, sic una etiam est persona.

Resp., quod Dei natura absolute dicitur, Persona autem relative. Quod absolutum est, dum multiplicatur, perfectionem suam in plura distribuit, quorum alterum alterius perfectione privatur, & sua determinata perfectione finitur; & ideo in creatis natura non per identitatem, sed per similitudinem dumtaxat est una. Divina vero Persona cum relatio sit, oportet ut ad aliam referatur; adeoque una Dei Persona quamvis non sit finita, necessario Personam aliam connotabit. Licet igitur una sit Dei natura, potest tamen in eo multiplex esse Persona, quarum altera alterius perfectione idcirco non caret, quia omnes cum eadem divina natura perfectissime conjunguntur. Et hoc est, quod quidam Scholæ Doctores affirmant, divinam nempe naturam esse absolute & simpliciter infinitam, Personam vero infinitam esse in suo solum genere; quatenus exempli causa, licet divina Paternitas

alium

alium Patrem excludat, non tamen excludit Filium, & Spiritum Sanctum.

Ex dictis facile patet, cur argumentatio ista non teneat: Deus est trinus in Personis, quælibet Persona est Deus, ergo quælibet Persona est trina in Personis. Deus enim trinus est, prout omnes subsistendi modos includit; non prout secundum absolutas perfectiones, vel secundum unum, & non alterum subsistendi respectum consideratur. Persona igitur quæ refertur ad aliam, illam excludit, ab eaque distinguitur; ac proinde quælibet Persona trina in Personis dici omnino non potest.

Patet denique ratio, cur adjective enunciari possit, quod sint tres Personæ divinæ, vel tres habentes Deitatem; dici vero non debeat substantive, quod sint tres Dii. Uti enim bene notat Angelicus Doctor in p. 1. q. 39. a. 3. *Nomina substantiva significant aliquid per modum substantiæ, nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis quod inhæret subjecto; substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel multitudinem: unde & singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem, vel multitudinem; & ideo in adjectivis attenditur singularitas, & pluralitas secundum supposita.*

Urgebis. In creatis rebus ubi una essentia est, non nisi una etiam potest esse Persona. Quod si dixeris, hominum & Angelorum essentiam esse finitam, Dei autem infinitam; adeoque potest hæc sine sui divisione pluribus communicari suppositis: profecto nihil evinces.

ces. Si enim Deo essentia simpliciter infinita tribuitur, infinita etiam simpliciter Persona eidem debet attribui: sicut igitur Persona finita finitam essentiam totam in seipsa complectitur, & alteri incommunicabilem ita reddit, ut uni essentiæ non nisi una persona conveniat; sic etiam dicendum est, quod infinita Persona infinitam Dei essentiam adæquate contineat; proindeque Deo etiam cui una competit essentia, una dumtaxat potest Persona competere.

Resp., quod natura creata ex sese non numericam, sed vel genericam, vel specificam habeat unitatem; quapropter in plures veluti partes scinditur ac dividitur, quarum una sine altera perfecte & adæquate subsistit; adeoque in creatis ex ipsa finitatis ratione descendit, quod tot sint personæ, quot sunt particulares essentiæ. At in divinis natura numero una est & singularis, ac perfectissime simplex; proindeque sine sui divisione in tribus potest reperiri suppositis, quæ non ex finitate, sed ex fæcunditate sunt plura. Uti enim fides edocet, divinæ naturæ fæcunditas exigit, quod in Deo una sit Persona producens, & duæ sint productæ; altera scilicet per intellectum, altera vero per voluntatem.

Ergo ut superius dictum est, una divina Persona, licet formaliter infinita esse dicatur, totam quidem essentiam in seipsa comprehendit, non tamen illam terminat sub quocunque respectu. Quod enim relativum est, aliud necessario connotat ad quod refertur; & idcirco Pater sub ratione Paternitatis totam adæquat essentiam, & in Deo unus Pater est, & una Paternitas. Sed cum Pater referatur ad Fi-

Filium, nullaque res seipsam gignat ut sit; cum insuper Spiritus Sanctus a Patre producatur, & Filio; idcirco plures in Deo possunt esse Personæ, quæ per diversam relationem realiter ab invicem distinguuntur.

Quæ cum ita se habeant, jam facile apparet, quid reponere debeas tritissimo huic argumento: Uni essentiæ una convenit intelligibilitas, bonitas, existentia, singularitas &c. Ergo personalitas etiam una conveniet.

Reponendum est enim, quod existentia, & singularitas, ceteræque ejuscemodi formæ, vel ut inquiunt formalitates, absolutæ sunt, & idem omnino munus exercent; ideoque frustra in eadem multiplicarentur essentia. At divinæ Personalitates relativæ sunt, neque idem præstant officium; cum alia Patrem, alia Filium, alia Spiritum Sanctum, diversa penitus ratione constituant.

Prompta etiam responsio est ad argumentum istud: Multiplicatis subjectis, multiplicantur & formæ; sic ubi plura sunt corpora, plures etiam sunt dimensiones, colores, &c. Ergo ubi plura sunt supposita, plures etiam sunt naturæ.

Ex dictis enim elucet, quod divina natura infinita sit, adeoque sine sui multiplicatione in pluribus suppositis reperitur. Nam licet sit singularis & individua; singularitas tamen communicabilitati non officit; sicut rationalis anima quæ singularis substantia est, corpori communicatur; quamvis in plures res, pluresque veluti partes suam nequeat partiri naturam. Neque ex creaturis quæ limitationi ac compositioni subduntur, trahenda sunt exempla, quæ in divinis simili prorsus ratione concludant.

Ob-

Objiciunt 2. Idcirco dicitur quod plures sint divinæ Personæ, quia una alteram producit: atqui divina Persona produci non potest; proprium enim & differentiale Dei prædicatum in aseitate consistit, ut in lib. 1. c. 7. superius probatum est.

Resp., quod alium conceptum habeat Dei essentia, alium vero Persona. Essentia enim secundum formalem sui conceptum neque uti a causa, neque uti a principio, neque uti a radice potest ab alio dimanare; cum nihil ea prius in Deo possit intelligi. At si de objectivis Personarum conceptibus disputare volueris, paternitas ab essentia veluti a radice descendit; filiatio autem a Patre, & passiva spiratio a Patre & Filio, tanquam a principio, suam derivat originem: hoc autem sine ulla imperfectione contingit, quia non diversam vel distinctam essentiam in Deo habet is qui producit ab eo qui producitur, sicut accidit in creatis; ubi Pater quia non omnino eandem naturam Filio communicat, juxta philosophicum loquendi morem, Filii non principium, sed causa nuncupatur.

Dices. Si generandi & spirandi potestas esset in Deo, nedum Pater Filium generaret, & Pater simul cum Filio notionalem spiraret amorem; verum etiam Filius & Spiritus Sanctus generare deberent, & Spiritus S. spirandi virtute carere non posset; alioquin non una in tribus perfectio esset, neque una natura: atqui hoc Trinitarii non concedunt: ergo admittendæ non sunt in Deo Personæ, quarum una ab altera per generationem, vel spirationem, tanquam a principio, producatur: ergo una tantum Persona in Deo subsistit.

Resp., quod Filius idcirco non generat, quia ipse tanquam terminus divinam generationem adæquat; & Spiritus Sanctus non generat, quia productionem Filii præsupponit; neque spirat, quia ipse est spirationis activæ terminus adæquatus: quia vero eandem cum Patre habent essentiam, ideo nulla eis perfectio deest: quidquid enim perfectionis in generandi & spirandi principio continetur, non a paternitatis, vel spirationis activæ relatione repetitur, sed ab ipsa Dei absoluta substantia repetendum est. Quare S. Ambrosius in lib. 4. de fide c. 4. contra Arianos hæc ait: *Cur inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur iste non generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est. Nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius: Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis*. At cum de divinis processionibus in sequente libro tractabimus, hujusce responsionis veritas clarius apparebit.

Solvitur ex dictis hæc alia difficultas. Si Dei essentia secum posset tres habere Personas, habere posset & quatuor, & quinque, & numero etiam infinitas. Rupto namque semel unitatis vinculo, nihil amplius superesset, quod divinas Personas ad certum numerum limitaret.

Est aperta responsio, quod Deus per intellectum, & voluntatem seipsum ad intra communicat; ideoque Pater dum seipsum intelligit, Filium generat, & hæ duæ Personæ seipsas amando Spiritum Sanctum individua operatione producunt. Cum igitur ejusdem ge-

ne-

neris una sit Persona, unus est Pater; cumque insuper Filius divini intellectus fæcunditatem adæquet, unus est Filius; ob quam etiam rationem de Spiritu Sancto similiter est dicendum. Ergo tres tantùm, non plures, neque pauciores sunt in Deo Personæ. Lege S. Thomam in p. 1. q. 30. a. 2., & S. Bonaventuram in 1. d. 2. a. unico q. 4.

Patet insuper ratio, cur liçet tres sint Personæ, & una Essentia; hæc tamen cum illis numerum non faciat; ita nimirum, ut non quaternitatem, sed Trinitatem in Deo esse credamus. Personæ enim non cum Essentia, sed secum invicem relativam servant oppositionem; adeoque non ab Essentia, sed a se invicem realiter distinguuntur. Unde Concilium Lateranense IV. cap. 2. ait: *Ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet Substantia, Essentia, sive Natura divina.* Qua etiam ex causa neque attributa absoluta numerum Personarum adaugent; communicantur enim illa Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ad quos nullo oppositionis genere referuntur.

Objiciunt 3. Si tres Personæ essent in Deo, tres etiam essent in ipso substantiæ; definiente namque Boetio in lib. de duabus naturis & una Persona Christi, Persona est *rationalis naturæ individua substantia:* atqui repugnat, quod multiplicetur in Deo substantia; alioquin multiplicaretur & ipsa Divinitas: ergo &c.

Resp., quod substantiæ nomen usitata significatione rem illam denotat, quæ per se existit, & alteri non adjacet; sicque opponitur

accidentibus, quæ subjectis suis inhærent. Aliquando tamen apud quosdam Veteres substantia pro subsistentia sumitur, quatenus nempe illam existendi rationem includit, qua una res alteri communicari non potest. Primo in sensu divina substantia una est, sicut una etiam est natura: at altero in sensu quo Boetius loqui videtur, plures in Deo substantiæ dici possunt; unica tamen & indivisa permanente natura.

At instabis. Persona & natura in Deo nullatenus distinguuntur: plures ergo sunt naturæ, si plures sunt Personæ. Quid enim natura significat, nisi id quod res est, ipsam scilicet rei essentiam? Atqui Persona etiam est ipsamet intellectiva substantia, essentia, sive natura: ergo Persona intelligens ab intelligente natura non differt: ergo si multiplex in Deo Persona esse defenditur, multiplex quoque erit defendenda natura. Et sane id quod Persona dicitur, completam habere debet essentiam; quapropter neque humani corporis membra, neque rationalis anima, Personæ vocabulo designantur. Tres ergo divinæ Personæ tres haberent perfectas completasque naturas, quarum respectu tres quoque dii vere ac proprie dici possent.

Resp. juxta Scholæ nostræ sententiam quam in lib. 2. c. 1. probavimus, quod Personæ divinæ ab Essentia formaliter distinguantur; adeoque multiplicari possunt illæ ob respectum quo una alteram producit, & una ab altera procedit; quin natura quæ absoluta perfectio est, etiam ipsa debeat multiplicari. Ergo licet Persona completam ac perfectam connotet naturam; si tamen secundum formalem

rationem suam accipiatur, modum dumtaxat exprimit quo res in seipsa subsistit, & subsistentia sive personalitas appellatur. Quia igitur objectivus divinæ Personæ conceptus a conceptu naturæ, nullo intercedente figmento distinguitur; idcirco non sequitur, quod si plures sint Personæ, plures esse debeant & naturæ.

Objiciunt 4. Ex Philosophia didicimus, quod quæ sunt eadem uni tertio, sint quoque eadem inter se: ergo quia in Deo Personæ cum natura sunt unum & idem, idem etiam inter sese esse debebunt: quemadmodum scilicet absolutæ perfectiones, sive attributa, quia ab essentia non sunt distincta realiter, neque inter se realiter distinguuntur.

Resp., quod principium illud tunc solum obtinet veritatem, quando aliqua identificantur alicui rei, quæ pluribus communicari non potest. Hinc quia humana natura pluribus individuis est communis, argumentatio ista non tenet: Petrus est homo, Paulus est homo, ergo Petrus est Paulus. *Quoniam ergo*, inquit Seraph. Doctor in 1. d. 34. a. unico q. 1., *divinæ Personæ in natura conveniunt, tanquam in uno communi, & Personæ distinguuntur ad invicem per originem; ideo patens est, quod non valet* illud effatum.

Accedit quod ut ibidem subdit S. Bonaventura, *quædam sunt absoluta, quædam respectiva. Diversitas in respectivis venit non modo a parte subjecti, verum etiam rei ad quam referuntur: in his non est regula vera, nisi intelligatur ad idem. Quoniam ergo Personæ per suas proprietates referuntur; quamvis unum sint in natura, quia tamen non sunt ad unum, i-*

deo non sequitur, quod sint idem. Quia igitur Pater, exempli causa, non ad seipsum, sed ad Filium veluti ad distinctum terminum refertur; quod & de Filio & de Spiritu Sancto similiter dicendum est; idcirco quamvis cum una identificentur essentia, inter se tamen, prout relationes sunt, realiter distinguuntur.

Essentiales autem perfectiones cum non ordinentur ad aliud, neque earum una ab altera tanquam ab origine vel principio producatur; ideo nedum cum essentia, verum etiam secum ipsis, & cum Personis reali identitate sunt unum.

Objiciunt denique. Trinitatis mysterium ratio humana non capit, uti superiori in capite assertum est: atqui nihil sine ratione ac probatione admitti debet ut verum.

Resp., quod in iis quæ ex Scriptura & Traditione dependent, ratio fidei subjicienda est, neque divinarum rerum causas naturali studio scrutari debemus; cum sæpe in ipsa etiam sensibilium rerum cognitione mens creata deficiat. Quapropter apposite S. Augustinus in lib. 15. de Trin. c. 27. scribit: *Cur non de illa summa Trinitate quæ Deus est, credunt potius quod in Sacris literis invenitur, quam poscunt liquidissimam reddi sibi rationem, quæ ab humana mente, tarda scilicet infirmaque non capitur? Et certe cum inconcusse crediderint Scripturis Sanctis, tanquam veracissimis testibus, agant orando & quærendo & bene vivendo ut intelligant, idest ut quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide.*

CAPUT VII.

Ex Scripturis ostendit, quod Dei Filius eandem habeat cum Patre substantiam.

HActenus ostendimus, quod tres sint in Deo Personæ, restat nunc, ut majori claritate ac distinctione monstretur, quod in eis una sit eademque divina substantia. Et de Patre quidem controversia nulla est, cum ipsimet fateantur hæretici, divinitatem ejus ex Scripturis evidenter evinci; tota itaque lis est, an eodem modo probetur, quod Filius, & Spiritus Sanctus in eadem cum Patre natura subsistant.

Hoc in capite de Verbi divinitate disputaturi cum simus, advertimus, quod ex quo Verbum sit Deus, non statim sequitur, Christum etiam esse Deum; sed oportet ulterius, ut ostendatur, quod humana Christi natura hypostatice unita sit Verbo, cujus unionis respectu Christo inesse dicitur vera divinitas. Hinc Nestoriani qui non physicam esse, sed moralem tantummodo conjunctionem Verbi cum Christi humanitate dicebant; licet Verbi divinitatem assererent, divinitatem tamen Christi ex falso illo principio denegabant. Consequitur autem, quod si Deus est Christus, Verbum quoque sit Deus; quia divinitas Christo aliunde convenire non potest, nisi ex

quo ejus humanitas est physice unita Verbo, quod in divina natura subsistit.

Nos Verbi & Christi simul divinitatem hic demonstrandam aggredimur, tum quia una est Verbi & Christi Persona, tum quia Sociniani contra quos præcipue disceptamus, Christi simul ac Verbi divinitatem impugnare contendunt.

Quod ad hæreticorum hac de re errores attinet, adnotamus, primo Ecclesiæ sæculo asseruisse Cerinthum, quod Jesus purus esset homo, aliorum instar, ex Maria & Joseph suam trahens originem. Huic postmodum secundo sæculo adhæsere Carpocrates, Theodotus Trapezita, & alter Theodotus Coriarius Byzantinus, & Artemon. Tertio deinde sæculo Paulus Samosatensis in eundem impegit errorem.

Arius IV. sæculo Verbum meram esse creaturam asseruit, quam Deus in principio temporis eduxit ex nihilo, ut per ipsam, tanquam per instrumentum, omnia procrearet.

Denique ut alios brevitatis gratia omittamus, Faustus Socinus, ejusque patruus Lælius seculo 16. omnium veterum hæreticorum adoptarunt errores; unam enim in Deo admisere Personam, consubstantialitatem Verbi cum Patre negarunt, dixeruntque Christum nullatenus extitisse, antequam ex Virgine nasceretur. Et licet Sociniani Christum verum Deum esse, divinoque honore dignum affirment; quia tamen illum ab æterno ex ipsa Patris substantia genitum esse, pertinaciter inficiantur; manifestam idcirco hæresim verborum ambiguitate contegere convincuntur. Nostri igitur officii partes exigunt, ut probemus, quod Chri-

Christus Dei Filius sit Patri consubstantialis, adeoque quod æterna generatione ab illo processerit.

I. argumentum affertur ex Evangelio Joannis cap. 1.

Joannis c. 1. vv. 1. & 2. legitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Et v. 14. subjungitur: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Quibus profecto verbis nihil clarius, nihil efficacius adduci potest, ut Sociniana hæresis debelletur. Primo namque monstratur, quod Verbum aliqua sit Persona, dum dicitur: *Verbum erat apud Deum:* dici enim recte non potest, quod aliquis apud seipsum sit. Deinde Verbum ibi Patris Unigenitus appellatur: alia ergo Patris, alia Filii, Verbi scilicet, est Persona.

Ex hoc insuper testimonio demonstratur, quod antequam carnem assumeret, & ab æterno Verbum extiterit. Hoc enim verba illa designant. *In principio erat Verbum;* id est, ante omnia sæcula Verbum erat. Unde S. Ambrosius in lib. 1. de fide ad Gratianum c. 5. ait: *Erat apud Deum, erat, erat, erat. Ecce quater, erat. Ubi impius invenit, quod non erat?*

Constat etiam ex hoc loco, quod Verbo insit vera divinitas. Dicitur enim sine ulla adjectione simpliciter: *Deus erat Verbum:* proindeque Verbum est Deus non delegatione, non adoptione, non gratia; sed natura substantia, ipsaque divinitatis essentia. Ut enim inquit Hilarius in lib. 7. de Trin. n. 10.

Hic

Hic res significata substantiæ est, cum dicitur, Deus erat. *Esse enim non est accidens nomen, sed subsistens veritas.*

Cum denique v. 14. dicat Joannes, quod *Verbum caro factum est*; evidenter apparet, quod Verbi Persona quæ extitit ab æterno, quæque veram habet divinitatem, in temporis plenitudine humanam naturam assumpsit: ergo Christus qui est *Verbum caro factum*, Patri consubstantialis est, & verus propriusque Deus.

Respondent 1. Ariani, quod illud, *In principio erat Verbum*, intelligi possit de mundi origine, & de initio creaturæ; sicut illud etiam intelligitur, quod habetur Gen. c. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Ergo paulo ante quam cetera crearentur, Deus Verbum produxit ex nihilo, ut per ipsum, tanquam per instrumentum, omnia faceret. Hinc v. 3. legitur: *Omnia per ipsum facta sunt*. Illa namque particula *per* non obscure significat, Verbum non principalem fuisse causam creationis rerum, sed simplex instrumentum, Patre inferius, & ab ipso dependens.

Sed bene scribit Chrysostomus hom. 4. in Jo. n. 1. *Audisti*, In principio fecit Deus cœlum & terram? *Quid cogitas de hoc principio? Certe quod hæc ante omnia visibilia facta sint. Sic & cum de Unigenito audis*, In principio erat, *ante intelligibilia omnia & ante sæcula ipsum esse intelligas oportet.* Quia igitur non ait Moyses: *In principio* erat cœlum & terra, sed *creavit Deus cœlum & terram*; nova patet cœli terræque creatio: quia vero dicit Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum*;

se-

sequitur quod Verbum in principio non sit creatum, sed in divina æternaque substantia semper extiterit.

Neque præpositio *per* instrumentali tantummodo causæ convenit, cum legatur Gen.4. v. 1. *Possedi hominem per Deum:* & 1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis Deus per quem vocati estis:* & alibi sæpe particula *per* efficientem & principalem causam designat. Quapropter S. Bonaventura hunc Joannis versum exponens ait, quod illud *per* denotat *circumstantiam causæ efficientis per modum exemplaris; quia ipsum Verbum Vita, ut dicitur hic, & Exemplar omnium*. Hinc & ab Augustino in lib. 6. Trin. c. 10. Verbum appellatur *Ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, & omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum: ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam:*

Quod si cum Schlictingio dixeris: Scriptura non solet principii nomine æternitatem exprimere: & si æternam Verbi originem designare voluisset Joannes; non *in principio*, sed potius *ante principium* dicere debuisset.

Reponemus, quod aliquando principii nomen de Deo dicitur, ejusque designat æternitatem. *Ab initio ego ipse:* dicit Dominus Isaiæ c. 43. v. 13. *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis:* Michææ 5. v. 2. *Numquid non tu a principio Domine Deus meus?* Habacuc. c. 1. v. 12. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus:* Apoc. 1. v. 8. Ceterum etsi illud *in principio* initium temporis denotaret, cum Joannes affirmet, quod in principio Verbum jam erat,

&

& quod omnia ab ipso sint facta; adhuc Verbi demonstraretur æternitas: quod enim ante tempus extitit, & omnia condidit, æternum est, & non creatam sed divinam habet essentiam.

Et hinc est, quod Joannes dicere non debuit, *ante principium*. Vel enim illud principium æternitatem designat; & sic cum nihil æternitate sit prius, non recte dictum esset: *Ante principium erat Verbum*. Vel principium illud pro temporis initio sumitur; & ita quia Verbum dicitur in principio jam fuisse, & omnia procreasse; non oportuit, ut *ante principium* diceretur.

Respondent aliter Sociniani, quod illud *in principio*, Evangelii, designet initium, quando nimirum venit Joannes prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum. Sensus igitur iste est: In principio Evangelii, & prædicationis Joannis, Christus erat. Et sane materia de qua ibi agitur, est Evangelium; secundum ergo subjectam materiam illud *in principio*, Evangelii demonstrat exordium. Unde & verba 3. versus: *Omnia per ipsum facta sunt;* non ad rerum omnium creationem pertinent, sed ad spiritualem hominum renovationem; quasi dicat Joannes: Omnia quæ ad Evangelium spectant & ad novam creaturam, sunt facta per Christum.

At cum Evangelista non dicat: *In principio fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes;* sed, *In principio erat Verbum:* evidens profecto est, quod illud *in principio* non ad Evangelium, aut ad Joannis Baptistæ prædicationem; sed ad æternam Verbi existentiam referatur, de qua tantum ibi proxime agi-

agitur; nam Evangelica historia dici tantummodo potest commune argumentum, quod per totum librum longe lateque vagatur.

Cum insuper absolute scripserit Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt;* nihilque adjunxerit, quo de sola hominis regeneratione locutum se fuisse demonstret, haud dubie dicendum est, quod omnia & singula quæ facta sunt, sive ad novam, sive ad veterem, sive ad spiritualem, sive ad corpoream creaturam attineant, sint facta per Verbum, quod in principio erat, & Deus erat; non scilicet diversus a Patre, rerum omnino omnium Creatore. Unde post laudata verba subjungitur: *Et sine ipso factum est nihil*. Et. v. 10. *Mundus per ipsum factus est*. Hinc & Apostolus Hebr.c.1.v.10. scribit, quod ad Dei Filium dicta sint ea verba Psalmi 101. v. 26. *In principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli*.

Respondebis 3. Si primo in versu Verbi æternitatem denotare voluisset Joannes, sane non dixisset: *In principio erat Verbum:* sed, *In principio est Verbum*. Æternitas enim quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, non nisi per præsens tempus rectissime designatur: quapropter Exodi c.3. v. 14. *dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos*.

Sed adnotat S. Bonaventura in c. 1. Joan., *quod ideo* Evangelista *ait:* Erat Verbum, *quod est præteriti imperfecti, quia esse Verbi hic describitur ut permanens, & ut omnia causans & antecedens: sed in hoc verbo*, erat, *significatur omnimoda perfectio, & perfecta immutabilitas: præsens autem est, cujus pars præteriit, pars futura est; & quantum ad hoc repugnat æter-*

æternitati, *nec determinat durationem: hoc autem verbum*, erat, *determinat & durationem*, *& immutabilitatem*. *Et ut de Deo dicitur*, *dicit præsentialitatem*, *quia dicit æternitatem*. In libro autem 2. cap. 4. proposit. 2. ostensum est, quomodo Scriptura quandoque diversi temporis verba de Deo pronunciet.

Respondent 4. Sociniani, quod Verbi nomen de Christo dicatur, non quia divina ille personalitate subsistat, sed quia nobis Dei indicat voluntatem. Omnis namque Christi appellatio a munere quod exercet, accipitur: unde etiam alibi dicitur Salvator, Rex, Propheta, Sacerdos &c. Ita igitur Christus dici potuit Verbum, sicuti Exodi 4. v. 16. Aaron *os Moysis* dictus est; & Baptista de seipso ait Jo. 1. v. 23. *Ego vox clamantis in deserto*.

Verum enimvero Joannes ante quam Filius humanam carnem assumeret, illum Verbi nomine designavit; post assumptionem autem non jam Verbi, sed Christi nomen eidem attribuit. At si Verbi nomen Christi denotaret officium, non iste ante, sed post incarnationem potius Verbum appellari debuisset, quia homo factus Dei nobis voluntatem aperuit. Quamvis ergo nonnulla sint nomina, quæ Christo aliisque per figuram vel propter officium tribuantur; Verbi tamen nomen de Christo proprie dicitur, quia nimirum secunda Trinitatis Persona, per quam humana Christi natura subsistit, ex paterno intellectu procedit. *Verbi enim appellatio in Dei Filio de Sacramento nativitatis est:* inquit Hilarius in lib. 7. de Trin. n. 10. Sed de hoc argumento in altero libro tractabimus, ubi nomina secundæ Personæ propria & appropriata erunt

erunt breviter recensenda.

Respondent 5., quod Dei nomen Verbo tributum non altissimi Dei denotat naturam, sed quandam tantummodo Christi dignitatem & auctoritatem ostendit; eo nimirum modo quo Exodi c. 7. v. 1. *dixit Dominus ad Moysen: Ecce constitui te deum Pharaonis*. Et sane in Græco textu Verbum Deus dicitur sine articulo, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Et Deus erat Verbum*. Atqui ubicunque in Græco textu Dei summi nomen exprimitur, semper ei articulus ad denotandam emphasim apponitur.

At Græcum nomen Θεὸς, & Latinum *Deus* simpliciter & absolute prolatum in novo Testamento nulli tribuitur creaturæ. Lege Irenæum in lib. 3. adversus hæreses c. 6. Neque de Moyse legitur, quod Deus erat, sed quod Deus fuerit constitutus, & quidem cum restrictione ad Pharaonem, & per nomen אלהים Elohim, non per illud ineffabile יהוה Jehova. Lege S. Hilarium lib. 7. de Trin. n. 10.

Denique futilis est Fausti Socini observatio illa de articulo; observat namque Chrysostomus hom. 4. alias 3. in Jo. n. 3., quod ad Rom. c. 1. v. 7., & ad Philip. 2. v. 6. Patri quem vel ipsi Sociniani Deum summum appellant, Dei nomen sine articulo tribuatur. Imo in laudato etiam cap. 1. Joannis vv. 6. 12. 13. & 18. Θεὸς sine articulo verum Deum aperte significat. Insuper in epist. ad Gal. c. 4. v. 8. ὁ θεὸς cum articulo de diis gentium affirmatur. Tandem Christus cum articulo Deus dicitur Joa. 20. v. 28., & ad Rom. 9. v. 5., & ad Titum 2. v. 13. &c. Nihil igitur ex eo sequitur, quod Verbum Jo: c. 1. v. 1. Deus sine articulo nuncupetur. Advertunt autem

Græ-

Græcæ linguæ Periti, quod articulus non prædicato propositionis præponi soleat, sed subjecto; cum autem in propositione illa: *Deus erat Verbum*: Verbum sit subjectum, Deus autem sit prædicatum, ita ut recto ordine sit legendum: *Et Verbum erat Deus*: idcirco articulus non Dei nomini, sed Verbi præponitur.

Respondent 6., quod illud versus 14. *Et Verbum caro factum est*, non probat, extitisse Christum in propria Persona, antequam appareret in carne. Nam τὸ *factum est* Græce dicitur ἐγένετο, idemque significat ac *fuit*, uti constat etiam ex v. 6. ejusdem capitis: *Fuit* (Græce ἐγένετο) *homo missus a Deo*. Scribit itaque Joannes, quod *Verbum fuit caro*, admonere nos volens, quod Christus de quo tam præclare loquitur usque ad versum 14., ab aliis hominibus non sit diversus, sed fragilem habeat, infirmam, mortalemque naturam.

Sed Græcum verbum γίνομαι tum esse, tum fieri significat: & ipsi Sociniani ἐγένετο illud quod extat Græce in vv. 3. & 10., per *factum esse* verterunt. *Omnia per ipsum facta sunt*, ἐγένετο. *Et mundus per ipsum factus est*, ἐγένετο. Ergo versio illa reprehendi non debet: *Et Verbum caro factum est*; præsertim cum in antecedentibus versibus ubi de Verbi æternitate, divinitate, potestate fit mentio, Joannes substantivum verbum εἰμὶ non semel usurpet; versu autem 14. mutat illud in γίνομαι, ut nimirum temporalem carnis assumptionem ostendat. Carnis autem nomine passim in Scripturis totus homo per synecdochen designatur. *Ad te omnis caro veniet*: Psal. 64. v. 2. *Omnis caro fœnum*. Is. 40. v. 6. Ergo ex quo Verbum

bum caro factum esse dicatur, sequitur utique quod mortalem naturam assumpserit, non vero quod in divina essentia ante non extiterit.

Notarunt denique Valla, Erasmus, aliique, quod ἐγένετο quando cum participio jungitur, significat, *fuit*, aut, *erat*; sicut in v. *6.* cum participio copulatur, ἀπεσταλμένος, *missus*: at in vv. 3. 10. & 14. ἐγένετο simpliciter, & sine participio legitur; proindeque recte vertitur per *factum esse*.

At instabis. Si legatur: *Et Verbum caro factum est;* ergo jam sequitur, quod Verbum in carnem fuerit transmutatum: sicuti scilicet dum lignum fit ignis, & aqua vinum; neque lignum, neque aqua in sua amplius natura subsistunt.

Reponemus, quod Verbum caro factum esse dicitur, non conversione vel confusione divinæ vel humanæ naturæ, sed unitate Personæ quæ id quod fuit, permansit; & quod non erat, assumpsit: nam postquam caro factum est Verbum, habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre: quo profecto utriusque naturæ, divinæ scilicet & humanæ, perfectio designatur.

Dum vero lignum in ignem, & in vinum aqua converti dicuntur, prior partium textura & forma mutatur, & succedit altera quæ ad novi compositi effectionem exigitur; neque diversæ dispositiones possunt in eisdem compositi partibus reperiri; & inde provenit, quod post conversionem neque ligni, neque aquæ natura remaneat. At nihil ejusmodi Dei Verbo contigit, aut contingere potuit; unde neque conversione, neque ullo internæ mutationis genere factus est homo, ut superius ostensum est,

& suo in loco fusius ac clarius ostendetur.

Respondent 7., quod Evangelista dum scribit v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre:* per particulam illam *quasi* quæ est diminutiva, demonstrat, Verbum non esse verum propriumque Patris Filium, & consequenter non esse Deum Altissimum. Ita dum Lucæ c. 3. v. 23. dicitur: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta:* per illud *quasi* evidenter ostenditur, quod tunc Jesus nondum trigesimum annum expleverat.

At illud *quasi* Græce ὡς in citato versiculo, non dignitatem minuit, sed exprimit veritatem; & uti Chrysostomus ait hom. 12. in Jo. n. 1., *non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis, & definitionis nulli dubio obnoxiæ; ac si diceret: Vidimus gloriam, qualem decebat habere unigenitum & germanum Filium Dei, universorum Regis*. Hinc eodem in capite v. 18. sine adjectione ulla sic legitur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Ex quo liquido demonstratur, quod Christus sit verus Dei Filius, & parem Patri cognitionem habeat ac naturam.

Alibi quoque particula ὡς non similitudinem, sed confirmationem, ipsamque rei veritatem ostendit; nam Matth. 14. v. 5. de Baptista dicitur: *Quia sicut* (Græce ὡς) *Prophetam eum habebant*. Et in epist. ad Philemonem v. 9. *Cum sis talis, ut Paulus*, ὡς Παῦλος. Latinum etiam *quasi* in nostra Vulgata aliquando non est diminutiva, sed exprimens & confirmans: *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore:* Num. 11. v. 1. *Ipse enim quasi vir verax, & timens Deum* &c. 2. Esdræ c. 7. v. 2.

Demum in objecto Lucæ textu definitiva par-

particula ὡς non habetur, ſed ὡσεὶ legitur, tanquam aliquid indeterminatum. Participium inſuper illud *incipiens* ſignificare videtur, quod ſequens adverbium *quaſi* diminutive ſit intelligendum: nam ſi Jeſus trigeſimum annum erat incipiens, non ergo annum illum expleverat. Ceterum non adhuc conſtat quo ætatis ſuæ anno Chriſtus fuerit baptizatus; non enim hac de re Patrum ac Chronologorum una ſententia eſt: hinc aliqui cenſent, quod completo anno trigeſimo Chriſtus baptiſma ſuſceperit. Lege Sandini in Hiſt. Familiæ Sacræ, de Chriſto c. 7.

Alterum adducitur argumentum ex ejuſdem Evangelii c. 10.

Joannis c. 10. de ovibus ſuis Chriſtus ait v. 28. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*. Hujuſce vero rei rationem proferens, adjungit vv. 29. & 30. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus*. Ergo quia oves de manu Patris rapi non poſſunt, neque poſſunt rapi de manu Filii; eadem ergo eſt utriuſque manus ſive potentia, ergo eadem eſt quoque utriuſque ſubſtantia: quod expreſſe verbis illis innuitur: *Majus omnibus eſt:* & *Unum ſumus*. Lege S. Hilarium in lib. 7. de Trin. n. 22.

Ergo teſtimonium iſtud contra Sabellium Perſonarum pluralitatem, & contra Arium earundem conſubſtantialitatem evidenter oſtendit. Unde S. Athanaſius oratione 4. contra Arianos n. 9. ſcribit: *Duo quidem ſunt, quia Pater eſt, & Filius, quod eſt Verbum: Unum autem, quia Deus unus eſt. Nam niſi ita ſit, dicendum certe illi erat: Ego ſum Pater; vel, Ego &*

Digitized by Google

Pater sum. Nunc vero ista voce Ego *Filium significat, Genitorem autem, cum subdit*, & Pater. *Denique dictione*, Unum, *unam divinitatem, suamque designat consubstantialitatem*. Similia habet Augustinus tract. 36., & tract. 71. in Joannem.

Respondent, quod Christus laudato in loco de unitate consensus & operationis, non de substantiæ ac naturæ unitate loquatur: id enim aperte colligitur ex oratione quam fudit ad Patrem Jo. c. 17. vv. 21. & 22. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint,... ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Ea itaque unitas Patrem inter & Filium intercedit, quam Christus pro Fidelibus postulavit: postulavit autem pro istis non unitatem naturæ, sed concordiam voluntatis: ergo ejuscemodi dumtaxat unitas Patrem inter, & Filium reperitur: de quo unitatis genere alibi passim Scriptura loquitur, & præsertim in 1. ad Cor. c. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*.

Sed duplex est unitas inter Patrem, & Filium, naturæ scilicet, & amoris; & secundum utramque Pater est in Filio, & Filius in Patre. De unitate naturæ sive substantiæ Christus loquitur Joan. c. 10., nam absolute & simpliciter asserit, *Unum sumus*, quin addat, *spiritu, corde, anima, voluntate* &c., sicuti alibi unitas amoris exprimitur. Notat hoc S. Augustinus in lib. 6. de Trin. c. 3, ubi scribit: *Cum ergo sic dicitur unum, ut non addatur quid unum, & plura unum dicantur; eadem natura atque essentia, non dissidens nec dissentiens significatur. Cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum, quamvis diver-*

diversis natura ; sicut anima & corpus non sunt utique unum (quid enim tam diversum ?), nisi addatur, aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo, aut unum animal.

Confirmatur idipsum nedum ex eo quod Christus affirmet, se eandem cum Patre manum, sive potestatem, adeoque & naturam habere: sed ex eo etiam quod cum ille se *unum* cum Patre esse dixisset ; *sustulerunt lapides Judæi ut lapidarent eum :* uti legitur v. 31. At si Christus de sola amoris unitate locutus esset, Judæi nullam tollendi lapides causam habuissent. Hinc v. 33. responderunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Quæ verba expendens Augustinus tract. 48. in Joan. ait : *Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici :* Ego & Pater unum sumus, *nisi ubi æqualitas est Patris & Filii.*

Deinde cum Judæorum opinionem emendare Christus facili negotio potuisset, id non præstitit, quinimo confirmavit adjungens vv. 37. & 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio : & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre :* Quibus profecto verbis tam aperte, tam clare se verum ac consubstantialem Dei Filium demonstravit, ut v. 39. legatur : *Quærebant ergo* Judæi *eum apprehendere : & exivit de manibus eorum.* Lege Chrysostomum hom. 61. in Joan.

Ad illud autem quod ex cap. 17. Joan. objectum est, adnotat Augustinus tract. 110. in Jo. n. 1., *non dixisse Dominum, ut omnes unum simus ; sed,* ut omnes unum sint, sicut tu Pa-

ter in me, & ego in te; *subintelligitur*, *unum sumus; quod apertius dicitur postea: quia & prius dixerat de discipulis, qui cum illo erant*, Ut sint unum sicut & nos. *Quamobrem ita est Pater in Filio & Filius in Patre, ut unum sint, quia unius substantiæ sunt. Nos vero esse quidem in eis possumus, unum tamen cum eis esse non possumus; quia unius substantiæ nos & ipsi non sumus, in quantum Filius cum Patre Deus est.* Ergo Christus Joan. 17. de unitate dilectionis, Joannis autem 10. de unitate essentiæ locutus est.

Particula vero illa *sicut*, quæ c. 17. v. 21. legitur: *Sicut tu Pater in me* &c., aliquam tantum similitudinem, non perfectam æqualitatem ostendit; quemadmodum & Matth. 5. v. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*. Græce etiam illud *sicut* per καθὼς exprimitur; per idem nempe adverbium, quo Lucæ c. 6. v. 36. remota quædam similitudo monstratur: *Estote ergo misericordes, sicut*, καθὼς, *& Pater vester misericors est*. Patris ergo & Filii unitas nobis proponitur ut exemplar; rogatque Christus, ut Fideles sese invicem ac Deum diligant, uti Pater & Filius amore se mutuo prosequuntur.

Tandem ex dictis apparet, quid reponendum sit ad illud ex 1. ad Cor. c. 6. v. 17. Ut enim advertit Augustinus in citato lib. 6. de Trin. c. 3., *non dixit, Qui adhæret Domino, unus est, aut, unum sunt; sed addidit*, spiritus. *Diversi sunt enim natura, spiritus hominis, & spiritus Dei: sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus*.

Respondent 2., quod laudato in cap. satis evidenter Christus ostenderit, se Dei Filium ac Deum esse non natura sed gratia, non genera-

neratione ſed electione ; uti nempe Judices, ac Prophetæ, aliique qui Dei vices in veteri Teſtamento gerebant. Cum enim Judæi lapidare Chriſtum vellent, quia homo cum eſſet, faceret ſeipſum Deum, v. 34. & ſeq. *reſpondit eis Jeſus : Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra : quia Ego dixi, dii eſtis ? Si illos dixit deos, ad quos Sermo Dei factus eſt, & non poteſt, ſolvi Scriptura : Quem Pater Sanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis : Quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum.*

Ita igitur ſe Deum Chriſtus appellat, ſicuti lex in Pſal. 81. v. 6. deorum nomine Judices inſignivit : atqui hi non natura, ſed munere tantum & participatione vocati ſunt dii : ergo & Chriſtus ſimiliter.

Accedit quod Pater Chriſtum ſanctificavit, & miſit in mundum : ergo Chriſtus non natura ſanctus eſt, ſed extrinſeca qualitate. Eſt etiam inferior Patre a quo in mundum miſſus eſt, ut voluntatem ejus præceptaque nunciaret, idque oſtenſione ſignorum adſtrueret.

At Chriſtus non a pari, ſed a minori ad majus argumentum inſtituit : unde ſenſus iſte eſt : Si ſine blaſphemia dii vocantur illi ad quos ſermo Dei factus eſt ; majori cum ratione ego qui Dei Verbum ſum, & per quem homines dii vocantur, meipſum Dei Filium ac Deum ſine blaſphemia potui nominare. Quare S. Auguſtinus tract. 48. in Jo. ait : *Si Sermo Dei factus eſt ad homines, ut dicerentur dii ; ipſum Verbum Dei, quod eſt apud Deum, quomodo non eſt Deus ? Si per Sermonem Dei fiunt homines dii, ſi participando fiunt dii, unde participant, non eſt Deus ?*

Ad alterum reſpondet S. Doctor eodem in

 loco,

loco, quod Pater Filium *sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum, quomodo dicimus Deo Patri, Sanctificetur nomen tuum?*

Reponi etiam illud potest, quod Christus hic de seipso loquatur, non prout Deus tantummodo est, sed prout est Deus homo; & quod sic etiam ille aliter a Patre fuerit sanctificatus, ac ceteri homines ab eodem sanctitatem accipiant: isti enim per accidentariam charitatem ad adoptionem filiorum Dei perveniunt; Christus autem per hypostaticam cum Verbo unionem ad substantialem ac personalem sanctitatem evectus est, per quam etiam vere dicitur Dei Filius naturalis.

Dicitur insuper Filius a Patre missus non secundum imperium, sicuti mittitur servus a Domino; neque secundum consilium, sicuti Sapiens aliquis Regem mittere dicitur ad bellandum; sed secundum originem, per quam ille qui mittitur, eandem habet essentiam, sapientiam, ac potentiam cum mittente. *Missio,* inquit Doctor Angelicus in p. 1. q. 43. a. 1., *divinæ Personæ convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, & secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio. Sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum, secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam: & tamen ante in mundo erat, ut dicitur Joannis 1.*

Postremo notamus, quod ex hoc textu non tantum Christi divinitas ostendatur, sed & existentia antequam conciperetur ex Virgine: ut enim ait S. Thomas in c. 10. Jo. lect. 6. *Mit-*

ti

ti in aliquem locum non convenit alicui rei, nisi ante fuerit, quam ibi esset; ergo ille quem Pater misit in mundum, scilicet visibiliter, est Filius Dei, qui præextitit visibili missioni.

III. argumentum ex Epistola ad Philip. c. 2.

In Epistola ad Philip. c. 2. vv. 5. & 6. de Christo Jesu ita scribit Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ergo Christi Persona antequam formam servi, sive humanam naturam acciperet, erat in forma, sive in natura divina: ergo Christus verus Deus dici debet, & extitit antequam seipsum exinaniret per humanitatis assumptionem. Unde Chrysostomus hom. 6. in epist. ad Philip. n. 2. exponens hoc Pauli testimonium ita contra Arium insurgit: *Dic mihi, quid hoc est, formam servi accepit? Homo factus est, inquit. Ergo & in forma Dei existens, Deus erat: nam & hic & illic nomen formæ ponitur. Si hoc verum; certe & illud: forma servi, est natura homo: ergo forma etiam Dei, natura est Deus.*

Respondent Socinus, & Schlictingius, quod per formam Dei intelligenda non sit divina & humana natura, sed externa solummodo species quæ in actionibus Dei & servi consistit. Græca enim vox μορφὴ, seu *forma* non internum aliquid occultumque significat; sed id denotat quod in oculos incurrit, cujusmodi est exterior operatio. Notarunt id etiam Erasmus & Grotius. Christus itaque in forma Dei prius extitit, quia antequam sese dimitteret, solo nutu ventis & mari, morbis & morti, ipsisque dæmonibus imperavit: hoc enim divinum est. Servi vero for-

formam accepit, quum in adversa conditione despectus apparuit; quum nempe se capi, vinciri, cædi, raptari, in crucem denique agi & occidi passus est.

Sed licet Græca vox μορφὴ externam aliquando speciem effigiemque designet, semper tamen internam naturam intimamque rei formam simul etiam manifestat. Et quod hoc in testimonio Paulus de ipsa Dei natura loquatur, evidenter apparet: non enim ait: *Qui cum in forma Dei videretur*: sed substantivo verbo utitur: *Qui cum in forma Dei esset*: deinde subjungit: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*: at forma qua aliquis æqualis est Deo, non exterior actio est, sed interna natura, sive ipsa Divinitas. Apposite Chrysostomus hom. *6.* in epist. ad Philip. *Cur non dixit*, *In forma Dei factus; sed*, Qui cum in forma Dei esset? *Idem est ac si diceretur:* Ego sum qui sum. *Forma quatenus forma est*, *eandem adesse naturam demonstrat*. Quo posito nihil nos Erasmi, & Grotii commovet auctoritas; præsertim cum de catholica religione non bene illi meruerint. Lege etiam S. Augustinum in libro 2. contra Maximinum c. 5.

Deinde eo in capite Paulus ut ad sectandam humilitatem excitet Philippenses, Christi commendat exemplum: *Hoc enim sentite in vobis*, *quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset* &c. Modo uti bene adnotat Chrysostomus laudata in hom. n. 3., *si minor fuisset Filius*, *non aptum erat exemplum*, *unde Paulus ad humilitatem cohortaretur*, *Quare? Quoniam non hoc humilitas est*, *non impetum facere adversus majorem*, *non rapere principatum*, *obedire usque ad mortem*. Ergo Dei forma quæ Christo hic tribui-

buitur, ipſam Dei deſignat eſſentiam.

Quod ſi propter virtutem patrandi miracula Chriſtus dici poſſet in Dei forma fuiſſe; ergo & in eadem forma fuiſſe dicendi ſunt Apoſtoli, Prophetæ, aliique qui opera quæ Chriſtus fecit, & ipſi fecerunt, & illorum majora fecerunt. *Ubinam vero*, inquit Chryſoſtomus hom. 7. in hanc epiſt. n. 2., *forma Dei appellatur opus Dei? Etenim ſi purus homo erat, atque ex operibus appellatur forma Dei, cur non & in Petro id facimus, qui majora etiam opera edidit? Cur non & Paulum inquis Dei formam habuiſſe?*

Falluntur etiam Sociniani dum ajunt, Chriſtum prius in forma Dei fuiſſe, quia prius miracula edidit, ſuamque potentiam declaravit; poſtmodum vero ſervi formam accepiſſe, quia erga vitæ finem plures ſuſtinuit paſſiones. Chriſtus enim 30. circiter annorum ſpatio ignotam vitam egit, ſuiſque parentibus ſubditus fuit; quo ſane tempore aliqua ab illo miracula edita fuiſſe non legitur: non ergo tunc in Dei forma extitit juxta Socinianorum opinionem. Quando autem tribus fere annis Chriſtus evangelium prædicavit, licet prodigia multa patraverit; Judæorum tamen invidiam & perſecutiones eodem tempore perpeſſus eſt: ergo ſimul tunc in Dei, & ſervi forma illum fuiſſe dici deberet; quod Sociniani non aſſerunt. Tandem licet Chriſtus poſtea paſſionem, & mortem acerbiſſimam toleraverit; inſigniora tamen portenta tunc edidit: dum ſatellites voce proſtravit, auriculam Malcho reſtituit, Latronem convertit & in Paradiſum accivit; dum denique uti legitur Matth. 27. vv. 51. & 52., *velum templi ſciſſum eſt, ... & terra mota eſt, & petræ*

træ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Juxta igitur Socinianorum interpretationem in forma Dei simul & servi Christus tunc extitit: quod ipsi aliunde inficiantur. Dicendum itaque est Dei formam hoc in loco divinam Christi denotare naturam qua ille æqualis est Patri, & formam servi humanam designare naturam qua minor est Patre, & secundum quam humiliavit semetipsum usque ad mortem crucis factus obediens.

Patet ex dictis quam male Sociniani illud exponant, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, dum ajunt, quod Christus non, uti raptores solent, suam cum Deo æqualitatem mordicus retinuit, sed ex Dei dono illam agnovit; ac propterea ad illius nutum deponendam duxit, dum humilem servi formam accepit. Nam præterquam quod nunquam Christus formam Dei deposuit, accedit quod hic, ut superius dictum est, Apostolus humilitatem ejus summopere laudet; at *si cum homo esset, non hoc rapuit, nimirum esse æqualem Deo, profecto non est, cur laudetur. Nam eum quidem, qui Deus sit, hominem fieri, magna ineffabilisque humiliatio est; eum vero, qui homo sit, humana facere, quæ tandem humiliatio?* Ita scribit Chrysostomus hom. 7. in epist. ad Philip. n. 2. Ergo Christus idcirco dicitur, quod non rapinam arbitratus sit esse se æqualem Deo, quia Persona Filii consubstantialis est Patri.

IV. argumentum quædam alia Scripturarum loca complectitur.

Alia sunt Scripturarum oracula ex quibus Christi æternitas ac divinitas liquido comprobatur: nos ex innumeris pauca pro instituti bre-

brevitate leviter tantum attingimus. Et sane legitur Jo. c. 8. v. 58. dixisse Christum Judæis: *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*. Christus ergo fuit, antequam Abraham crearetur; imo extitit ab æterno: hoc enim non obscure significat præsens illud: *Ego sum*; uti Patres ac Theologi observarunt, & præsertim S. Augustinus tract. 43. in Joan.

Item Apoc. c. 1. v. 8. de seipso Christus hæc ait; *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens*. Similia leguntur eodem in libro c. 21. v. 6., & cap. 22. v. 13. Rectam istorum textuum intelligentiam tuetur inter alios Tournely in quæst. 4. de Trin. a. 2. sect. 2.

Hoc etiam loca illa declarant, in quibus ostenditur, Christum esse Dei Filium verum, proprium, & naturalem: Legitur enim Psal. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quibus simillima habentur in Psal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te*. Et quidem verba Psalmi 2. de Christo intelligenda esse, docet Apostolus ad Hebr. c. 1., ubi etiam plura profert per quæ catholicum dogma mirifice confirmatur. Ergo illud *Hodie* denotat æternitatem, in qua præsens est tantum, non præteritum, non futurum. Per illud vero *Genui* absolute prolatum non gratuita & externa notatur adoptio, sed naturalis ac propria generatio, quæ in Psalmo 109. per τὸ *Ex utero* clarius explicatur. Est igitur Christus æternus Dei Filius, & Patri suo consubstantialis.

Accedit quod Christus non uno in loco dictus est Deus per tetragrammaton nomen יהוה Jehova, quod summo ac vero Deo tantum con-

convenire certissimum est. Nam quod Zachariæ c. 11. v. 12. legitur: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus* (יהוה) *ad me: Projice illud* &c., de Christo a Propheta prædictum fuisse scribit Matthæus c. 27. v. 9. Idem ineffabile Dei nomen Christo tribuitur Isaiæ c. 6., & c. 8., Jeremiæ c. 23., & alibi. At hæc plusquam satis; quibus accensenda sunt etiam ea Scripturarum oracula quæ in prioribus hujusce libri capitibus adducta sunt, ubi de Personarum pluralitate tractavimus.



C A-

CAPUT VIII.

Objecta dissolvit, quibus Verbi & Christi Divinitas ab Hæreticis impugnatur.

PLura jam olim Ariani adversus catholicam veritatem quam defendimus, objecere. Sociniani ea iterum cudere, additisque cavillis rursus urgere conati sunt. Hic igitur utriusque hæresis dissolvendæ sunt argutationes quæ alicujus momenti esse videntur, & ex Scripturis, ac ratione promuntur; nam quæ ad Patrum traditionem pertinent, infra prolixius expendemus.

Objicies 1. Eccl. c. 24. Sapientia quam Patres Dei Verbum & Filium esse testantur, seipsam creaturam appellat: inquit enim v. 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et v. 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Dicendum ergo videtur, quod Verbum ex nihilo sit eductum paulo ante quam Deus in tempore alia crearet. Unde & Proverb. c. 8. v. 22. eadem Sapientia dicit: *Dominus creavit me in initio viarum suarum:* uti extat apud LXX.

Resp., quod tum Latinum verbum *creo*, tum & Græcum κτίζω non de rebus tantum dicitur quæ ex nihilo producuntur; sed de filiis etiam, Magistratibus, Regibus, aliisque similibus affirmatur; ita nimirum ut gignere, eligere, constituere aliquando significet. Et sane verba illa, *Ab initio & ante sæcula*, æternam Verbi

bi processionem ac divinitatem evidenter ostendunt; sicut & ea quæ Prov. 8. v. 23. leguntur: *Ab æterno ordinata sum*; Hebraice נסכתי *nissacetti*, id est, *principatum tenui*; uti vertit Pagninus.

Denique in Vulgata nostra versus 22. Prov. c. 8. sic legitur: *Dominus possedit me*, Hebraice קנני *kanani*, id est, generando possedit. Sicuti quod habetur Gen. 4. v. 1. *Possedi hominem per Deum*, eodem Hebraico verbo profertur, & non eductionem ex nihilo, sed productionem ac generationem aperte designat: Heva enim *concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum*. Ea insuper quæ in contextu leguntur, ostendunt, Sapientiam non ex nihilo, sed ex ipsa Dei substantia fuisse productam. *Jam concepta eram:* dicitur v. 24. *Parturiebar:* versu 25. Hinc suspicati sunt nonnulli, quod LXX. verterint ἐκτήσατο *possedit*, & quod aliorum culpa postmodum ἔκτισε *creavit* fuerit substitutum.

Objicies 2. Joannis c. 1. v. 15. Baptista de Christo dicit: *Qui post me venturus est, ante me factus est*. Et ad Coloss. 1. v. 15. vocatur ab Apostolo *Primogenitus omnis creaturæ*. In 1. quoque ad Tim. c. 2. v. 5. legitur: *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Atqui si vera ac summa divinitas Christo competeret, hæc de illo affirmari omnino non possent.

Resp., quod in primo textu illud, *ante me factus est*, idem denotat, ac mihi est honore & dignitate præpositus; & ideo subdit: *Quia prior me erat*; id est, natura, potestate, omnique ratione præstantior: uti exponunt Ambrosius in lib. 3. de fide c. 5., Augustinus tract. 3. in Jo., & Cyrillus Alex. lib. 1. in Jo.

Di-

Dicitur autem Christus primogenitus omnis creaturæ, non quia ipse creatura est; sed quia ab æterno, & ante omnem creaturam a Patre est genitus in unitate substantiæ; & quia ipse rerum omnium causa est efficiens & finalis. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra &c.* ibi v. 15. & sequentibus.

Tertium testimonium non Filium, neque Spiritum Sanctum, sed gentium numina a communione unius Deitatis excludit: alibi enim Apostolus Trinitatem Personarum in essentiæ unitate conceptis verbis affirmat. Christus autem quatenus Mediator est, homo dicitur; quia humana natura fuit efficiens, & meritoria causa, a qua redemptionis opera prodierunt; licet hæc a Verbi divini Persona cui physice copulabatur humanitas, pretium omne, omnemque dignitatem acceperint: *nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, nisi esset & Deus:* inquit Augustinus in Enchiridii c. 108.

Objicies 3. Christus extremi judicii diem ignorat. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater:* Matth. c. 24. v. 36. Et clarius apud Marcum habetur c. 13. v. 32. *Neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Atqui si Christus esset Deus, diem illum ignorare non posset.

Resp., quod Christus judicii diem ignorare se dixerit, non quatenus Deus, neque quatenus homo est ad hypostaticam cum Dei Verbo unionem evectus; nam ut inquit Ambrosius in lib. 5. de fide c. 16. *Quomodo nescivit judicii diem, qui horam judicii, & locum, & signa*

expressit, *& causas?* Nescire ergo se diem illum asseruit, quatenus Patris Legatus est, & Caput Ecclesiæ, juxta quod ajebat Joan. 12. v. 49. *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*. Christus autem a Patre mandatum non acceperat, ut judicii diem hominibus indicaret; unde inquit Act. c. 1. v. 7. *Non est vestrum nosse, tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: & ideo solum scire Patrem, se autem ignorare judicii tempus affirmat. Sicuti scilicet qui Legati, Judicis, vel Confessarii munere fungitur, sine mendacii crimine nescire se dicit, quæ revelare non potest, quamvis ea ut singularis persona cognoscat. *Hoc enim nescit, quod nescientes facit; idest quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham* Gen. 22. Nunc cognovi quod timeas Deum; *idest nunc feci, ut cognosceres; quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit:* inquit Augustinus in lib. 1. de Trin. c. 12.

Quod si subjunxeris: Ergo ob eandem rationem dici poterit, quod Pater etiam nesciat judicii diem, cum illum hominibus non revelet.

Reponemus, quod Pater per seipsum nobis immediate non loquitur, sed per Filium, quem misit in mundum, uti consiliorum suorum interpretem, & Legatum. *Ideo*, scribit Augustinus in lib. 83. qq. 9. 60., *bene accipitur id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire; & quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines; id est, non prodit eis, quod inutiliter scirent*.

Objicies 4. Ex Joannis cap. 5. aperte colligitur,

tur, quod Filius Patre sit inferior, ab eoque dependeat. Legitur enim v. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Et v. 20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*. Et v. 30. *Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico*. Non ergo Filius est Deus ille summus, si a Patre agendi regulam accipit, scientiam, facultatem.

Resp., quod cum Christus ad piscinam sabbato sanasset ægrotum, eidemque grabatum tollere jussisset; cumque insuper Judæis id calumniantibus respondisset v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea*, uti v. 18. legitur, *magis quærebant eum Judæi interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Quibus ulterius reposuit Christus: *Non potest Filius a se &c.* Scilicet ut ostendat, quod Patris & Filii indivisa sint opera; cum hic ab illo ita procedat, ut una sit utriusque substantia, & potestas, & actio: proindeque sicuti non Patrem, ita neque Filium Judæi de sabbati transgressione poterant accusare. Unde post objecta verba in eodem v. 19. subjungitur: *Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit*. Non ergo uti magister discipulo, ita Filio Pater operandi normam exhibet, ad quam sese ille componat; sed uti ait Augustinus tract. 20. in Jo., *videre Filii, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio ejus, & alia substantia ejus: nec alia potentia ejus, alia substantia ejus*. Et sicuti videt Filius accipiendo a Patre, ita & Pater demonstrat Filio, communicando illi eandem essentiam, scientiam, ac potestatem. Lege laudati S. Doctoris tract. 21. in Jo.

Denique illud v.30. *Sicut audio, judico;* juxta superius dicta facilem habet intelligentiam. In divinis enim audire, videre, intelligere, & esse idem omnino significant: audit ergo Filius a Patre, quia ab illo habet essentiam; quo etiam in sensu de Spiritu Sancto ait Christus Jo. 16. v. 13. *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur.* Vel de Christo ut homine potest intelligi: nam v. 27. legitur: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Huic interpretationi favet Augustinus tract. 23. in Joannem.

Ex dictis apparet sensus ejus quod Christus ait Jo. 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Negat enim ibi Christus, quod doctrina sua Patris doctrinæ ac voluntati contraria sit, uti Judæi putabant; unde subjungit v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.* Negat insuper doctrinam suam esse humanitus acquisitam, nam v. 15. *mirabantur Judæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Tandem Augustinus tract. 29. in Jo. affirmat, quod idcirco Christus dixerit, doctrinam suam esse, & non suam, quia *ipse Christus doctrina Patris, si Verbum Patris, sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? Et quid tam non tuum, si alicujus est quod es?*

Objicies 5. Christus Matth. c. 20. v. 23. filiis Zebedæi respondit: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Atqui si Deus summus ille esset, potestatem dandi regnum

gnum haberet; illudque non tantum a Patre, sed & a se paratum esse dixisset.

Resp., quod cum filii Zebedæi jure consanguinitatis, ac sine labore primas in Christi regno sedes ambirent; respondit eis Christus, non id ad humanam spectare potestatem, neque petitionibus, sed meritis conferri regnum, sicuti fuit ab æterno paratum. Quo sane responso eos ad exercendam humilitatem, & ad subeundam passionem hortatur. *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem &c.* Lege S. Augustinum in Psalmum 126., ubi inter alia scribit: *Prius humiliamini, qui jam vultis exaltari.*

Ergo non officit, quod regnum paratum a Patre dicatur, quin expressa Filii mentio fiat; nam si paravit ille, etiam iste paravit; quia *Ego, & Pater unum sumus:* Jo. 10. v. 30., & *omnia quæ habet Pater, mea sunt*: Jo. 16. v. 15. Lege S. Augustinum in lib. 1. de Trin. c. 12. Et quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus regnum pararunt humilibus; idcirco Christus ait: *Non est meum dare vobis;* id est, non possum regnum dare superbis, quod adhuc erant filii Zebedæi, uti notavit Augustinus in Psal. 126. Ceterum Jo. 10. v. 28. conceptis verbis Christus affirmat, se conferendi regnum cœlorum potestatem habere: *Ego vitam æternam do eis &c.* Et Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Denique dicimus, quod eo in loco expresse Pater solummodo nominetur, quia ille fons est & origo, a quo Filius & Spiritus Sanctus essentiam & potestatem accipiunt.

Objicies 6. Cum Christus Matth. 19. v. 16. magister bonus appellaretur, v. 17. hæc respon-

dit: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus*. Quasi quod dicere voluisset: Ego qui non sum Deus Altissimus, non sum bonus.

Resp., quod cum Christus, tanquam purus homo ac simplex legis Doctor, a juvene esset interrogatus: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Occurrit ei verbis in argumento relatis; *tanquam diceret*, uti scribit Augustinus in lib. 3. contra Maximinum c. 23., *recte me appellabis bonum, si me noveris Deum. Nam quando me nihil aliud quam hominem putas, quid me dicis bonum? Non te facit bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile quod solus est Deus*. Non ergo Christus negat se esse Deum Altissimum infinita præditum bonitate; quinimo adolescentem admonet, ut divinitatem suam agnoscat.

Objicies 7. Jo. 14. v. 28. Christus ait: *Pater major me est*. Modo uti notat Faustus Socinus, affirmativa isthæc propositio hanc aliam continet negativam: *Non sum tam magnus, ut Pater*. Atqui si præter humanam divina etiam natura esset in Christo, negari nullo modo posset, quod ille ita magnus esset ut Pater. Quis enim hominem quantum esse negaverit, etsi ejus anima quanta non sit? Ergo licet Christus secundum humanitatem non esset tam magnus ut Pater; si tamen Deus esset, id simpliciter de illo negari non posset.

Resp., quod vel Pater Filio major asseritur ratione originis & principii, quia hic ab illo procedit; uti quidam Patres, Græci præsertim, interpretantur: vel juxta communiorem sententiam dicendum est, quod Christus non de divina, sed de humana natura loquatur; inquit enim:

enim: *Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.* At non nisi secundum humanam naturam iturus ille erat ad Patrem. Unde S. Augustinus tract. 78. in Joa. hæc habet: *Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, a quo venturus est, vivos judicaturus & mortuos. Per illud autem, in quo æqualis est gignenti unigenitus, nunquam recedit a Patre, sed cum illo est ubique totus pari divinitate, quam nullus continet locus.*

Ergo ratione divinæ naturæ Christus est ita magnus ut Pater: *Ego, & Pater unum sumus*: Jo. 10. v. 30.; quamvis ratione naturæ humanæ illo longe sit minor: proindeque non simpliciter de Christo negatur, quod sit magnus ut Pater, nec de eodem simpliciter affirmatur, quod secundum omnem respectum minor sit Patre: sed est minor ut homo, æqualis ut Deus. Sicuti quia homo anima & corpore constat, quantus dicitur ratione corporis, licet ratione animæ quantus dici non possit.

Ita pariter quia duplex in Christo substantia est, dicitur ille conceptus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus, & ejuscemodi cetera; quia quamvis nihil horum ei competat secundum divinam naturam, competit tamen secundum humanam. Dicitur etiam, quod Patri sit æqualis, quod extiterit ab æterno, quod mundum creaverit, & hujusce generis alia; quia licet secundum humanam naturam Christo non conveniant, secundum tamen divinam essentiam eidem credimus convenire.

Objicies 8. Christus ipse Patrem se superio-

rem esse testatur, dum Deum suum appellat: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, inquit Jo. 20. v. 17. Sed & Apostolus de Christo loquens, in 1. ad Cor. c. 15. v. 28. hæc scribit: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Alibi etiam legitur, quod Christus sit Dei puer & servus; quod Patrem oraverit, & mandata ejus impleverit, & hujuscemodi plurima quæ illum Patre omnino minorem ostendunt.

Resp., quod ex objectis textibus dumtaxat evincitur, duplicem in Christo distinguendam esse naturam, divinam scilicet, & humanam: cum enim ille in forma Dei esset, semetipsum exinanivit factus homo. Unde S. Ambrosius in lib. 5. de fide c. 8. ait: *Pia mens quæ leguntur secundum carnem divinitatemque distinguit; sacrilega confundit, & ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum*.

At ad 1. reponere etiam illud possumus quod habet Augustinus tract. 121. in Joannem: *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum: natura meum, gratia vestrum. Neque dixit, Deum nostrum: ergo & hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum vestrum, inter quos & ipsum Mediator sum*. Quo profecto duplex Christi natura monstratur, divina videlicet, & humana.

Ad alterum dicimus, quod eo in capite Apostolus de Christi, & aliorum resurrectione loquatur; proindeque de illo loquitur ut homo est, aitque, quod subactis hostibus, & devicta mor-

morte in die universalis resurrectionis, ne tunc quidem desinet Filius, quatenus homo est, Patri esse subjectus. Ut nimirum ostendat, quod resurrectio in eadem corporis & animæ substantia sit futura; & quod periturum in Christo non sit corpus, & spiritus; uti nonnulli hæretici somniarunt. Lege S. Augustinum in libro contra sermonem Arianorum c. 37.

Servus autem dicitur Christus non ex conditione Personæ, secundum quam est Dei Filius naturalis; sed tantum ratione creatæ naturæ, quam assumens, usque ad mortem crucis Patri humiliter obedivit, ipsum pro nobis oravit &c.

Objicies 9. ex ratione. Deus Pater Filium sibi consubstantialem generare non potuit: id enim generari dicitur, quod de non esse transit ad esse; adeoque motui ac temporali mutationi subjicitur: Deus autem hisce defectibus esse nequit obnoxius.

Resp., quod Deus Pater non de nihilo Filium producit, neque per naturæ divisionem, localemque motum gignit, uti generatio creata peragitur; sed per substantialem & intrinsecam actionem semper reipsa generat ab æterno, quin ipse de potentia mutetur ad actum, & quin Filius post non esse, recens esse recipiat. Sicuti si Sol, & ignis essent æterni, neque lucem, neque calorem temporis duratione præcederent, neque nova emissione producerent.

At dices. Omne quod corrumpitur, definit esse; ergo omne quod gignitur, incipit esse: ergo Filius neque est genitus ab æterno, neque est Deus.

Resp. ex S. Bonaventura in 1. d. 9. a. unico q. 3., *quod corruptio semper dicit variationem, & mu-*

& mutationem, & ita conversionem entis in non esse, & ideo ponit terminum finalem. Sed generatio aliquando dicit mutationem, ut in creaturis, & sic ponit terminum initialem; sed in divinis non dicit mutationem ex non ente, sed emanationem ab ente.

Sed instabis. Si Pater ab æterno Filium genuit, aut nunc non amplius gignit, aut nunc etiam eundem gignere non desistit. Si primum, ergo Deus factus est ex generante non generans; proindeque intrinsecus est mutatus, cum non ad extrinsecam creaturam, sed ad consubstantialem Filium generatio referri dicatur. Quod si secundum affirmare volueris; ergo id quod reipsa genitum est, & existit, poterit iterum & sæpius generari.

Resp. cum eodem Seraphico Doctore citato in loco q. 4., quod cum Dei Filius sit *purus actus, omnino idem est in ipso nasci, & natum esse, & ideo semper nascitur, & semper est natus, & semper est & nunquam desinit, nec cessat generari, nec Pater generare*. Aliter igitur de creata, aliter de divina generatione dicendum est: illa tempore perficitur, in quo præteritum a futuro secernitur; quapropter nequit id quod semel est genitum, & esse non desiit, cras denuo reproduci; quamvis ut conservetur, divina virtute semper indigeat. At divina generatio in indivisibili æternitate completur, in qua cum neque præteritum sit, neque futurum, sed tota simul ac perfecta interminabilis vitæ actionisque possessio; idcirco dicimus, quod Dei Filius sit productus, & semper immutabiliter producatur.

Objectantibus igitur Arianis: Si Pater adhuc gignit, nondum Filius est perfecte genitus:

Reponendum eſt cum S. Bonaventura ibidem, *quod verum eſt in illa generatione, in qua differt naſci & natum eſſe, ſed non talis eſt generatio divina; attamen quia generatio divina intelligitur per generationem creatam, & in creaturis de perfecto nato non dicitur naſci, ſed natum eſſe; ideo vult Auguſtinus* in lib. 83. qq. q. 37.; *quod melius dicitur Filius natus eſſe, quia intelligibilius eſt, non quia ei non conveniat naſci.*

Ex dictis illud etiam ſophiſma diſſolvitur: Vel Pater Filium genuit exiſtentem, vel non exiſtentem. Si primum, ergo fruſtra genuit: Si ſecundum, ergo Filius aliquando non fuit.

Pater itaque ſemper genuit Filium ſemper exiſtentem; neque hic fruſtra eſt genitus, quia neceſſario a Patre proceſſit; neque fruſtra adhuc gignitur, quia in æternitate idem eſt genuiſſe ac gignere, genitum eſſe ac gigni. Non ergo temporis præexiſtentia in Patre requiritur, ſed ſola originis conditio ſufficit, ad hoc ut conſubſtantialem ſibi Filium ab æterno producat. Sicut ergo nunquam Pater de non generante factus eſt generans, ita nunquam Filius de non exiſtente & non producto exiſtentiam acquiſivit, vel novum eſſe recepit; non enim ex nihilo eſt eductus, ſed ex ipſo Patris utero prodiit, ſola originis relatione ab illo diſtinctus.

At inſtant Ariani apud Auguſtinum in lib. 5. de Trin. c. 3. „ Quidquid de Deo dicitur „ vel intelligitur, non ſecundum accidens, ſed „ ſecundum ſubſtantiam dicitur. Quapropter „ ingenitum eſſe Patri ſecundum ſubſtantiam „ eſt, & genitum eſſe Filio ſecundum ſubſtan- „ tiam eſt. Diverſum eſt autem ingenitum eſ- „ ſe

„ se, & genitum esse; diversa est ergo sub-
„ stantia Patris, & Filii.

Verum Augustinus ibidem sic retorquet argumentum: *Si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur; ergo quod dictum est* Jo. 10. Ego, & Pater unum sumus, *secundum substantiam dictum est: una est igitur substantia Patris, & Filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est; dicitur ergo aliquid de Deo non secundum substantiam; & ideo jam non cogimur secundum substantiam intelligere ingenitum, & genitum.*

Deinde cap. 5. directe S. Doctor occurrit, aitque, quod argumentum in absolutis valeat, non autem in relativis: „ Si quod dicitur Pa-
„ ter ad seipsum diceretur, non ad Filium,
„ & quod dicitur Filius ad seipsum diceretur,
„ non ad Patrem, secundum substantiam dice-
„ retur, & ille Pater, & ille Filius: sed quia
„ & Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod
„ est ei Filius, & Filius non dicitur nisi ex
„ eo quod habet Patrem, non secundum sub-
„ stantiam hæc dicuntur, quia non quisque
„ eorum ad seipsum, sed ad invicem, atque
„ ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum
„ accidens, quia & quod dicitur Pater, & quod
„ dicitur Filius, æternum atque incommuta-
„ bile est eis. Quamobrem quamvis diver-
„ sum sit Patrem esse, & Filium esse, non
„ est tamen diversa substantia; quia hæc non
„ secundum substantiam dicuntur, sed secun-
„ dum relativum, quod tamen relativum
„ non est accidens, quia non est mutabi-
„ le.

Objicies 10. Scribit Augustinus in lib. 7. de Civ. D. c. 14. *Si Mercurius ipse sermo est, etiam*

iam ipsis Ethnicis *confitentibus Deus non est*. Atqui Filius est; Verbum, & Sermo; ergo ipsis Catholicis confitentibus Deus esse non potest.

Resp., quod Dei Filius juxta catholicam fidem est Sermo internus, permanens, & substantialis, qui a Patre non ore profertur exterius, sed interius mente concipitur; hinc Verbum melius dicitur, quam Sermo; est enim ipsamet Patris ratio, intelligentia, & sapientia; quod per primum nomen illud clarius explicatur. Si ergo Filius est Verbum Patri consubstantiale, Deus etiam est dicendus. At Mercurius, uti laudato in loco scribit Augustinus, *quasi medius currens* a Gentilibus dicebatur eo, *quod sermo currat inter homines medius; ideo alas ei in capite & pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aera sermonem; ideo & mercibus praeesse, quia inter vendentes & ementes sermo sit medius; ideo nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata nuntiantur*. Erat ergo Mercurius juxta vanam Ethnicorum opinionem sermo externus, transiens, accidentalis: Deus ergo esse non poterat.

CAPUT IX.

An apud Patres qui Nicænam Synodum præcesserunt, Traditio de Verbi Divinitate floruerit?

Licet Sociniani Traditionis auctoritatem concordi consensu rejiciant, multum tamen inter se discrepant, dum tempus assignant, quo dogma SS. Trinitatis ac Divinitatis Jesu Christi ortum habuerit. Putant enim aliqui, quod Græci Latinique Patres, qui ante Nicænum Concilium vixerunt, utrumque dogma nullatenus agnoverint: alii autem tuentur, quod post mortem Apostolorum Ecclesia fidem mutaverit, & Trinitatem Personarum, Christique divinitatem admiserit, secus ac Apostoli, & Christus ipse docuerant.

Nos in Theologiæ præludio de SS. Patrum ac Traditionis auctoritate licet breviter, perspicue tamen egimus, acturi postmodum copiosius, si Deus vitam ac tempus pro sua Clementia largietur; supra etiam in hujusce libri c. 4. veterum Patrum fidem circa Trinitatis mysterium propugnavimus: nunc ergo superest, ut majori qua fieri poterit brevitate monstremus, quod iidem Patres Christi divinitatem agnoverint; ut inde concludere jure possimus, Episcopos in Nicæna Synodo congregatos a Majorum suorum fide nullatenus defecisse: hoc autem evidens apparebit ex Patrum testimoniis quæ illico subjungemus.

S. Igna-

S. Ignatius.

Ignatius Martyr in epist. ad Ephesios ait: *Unus medicus est, carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo.* Et in epist. ad Magnesianos de eodem Filio, qui Patrem pro suo principio habet, hæc inter alia scribit: *Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne & Pater ipse talis reperiatur.* In epist. etiam ad Smyrnæos, Christum Deum esse, conceptis verbis affirmat. Ubi notandum est, quod Eruditi fere omnes, nedum ex Catholicis, verum & ex hæreticis, septem Ignatii epistolas, uti genuinas, communiter receperunt. Sunt autem epistolæ illæ: *Ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, & ad Polycarpum.*

S. Polycarpus.

Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, Christi divinitatem asseruit nedum in oratione, quam edidit paulo ante quam matyrium subiret; uti in 4. cap. dictum est; sed & in epist. ad Philippenses, ubi tam Patri quam Filio justificationis nostræ opus adscribit; inquit enim: *Deus autem & Pater Domini nostri Jesu Christi, & ipse sempiternus Pontifex Dei Filius Christus Jesus ædificet vos in fide & veritate, . . . & det vobis sortem & partem inter sanctos suos.* &c. At si Christus verus Deus cum Patre non esse, sanctificationis nostræ auctor simul cum eo esse non posset. Filius autem *Pontifex* dicitur ratione humanitatis assumptæ, in qua seipsum Patri in sacrificium obtulit; & dicitur *sempiternus* ratione divinitatis, in qua simul cum Patre extitit ab æterno. *S. Ju-*

S. Justinus.

Justinus Philosophus & Martyr insignis, catholicum dogma quod tuemur, apertissime confitetur. Scribit enim in dialogo cum Tryphone, *Deum ante omnes res creatas, initio genuisse ex seipso virtutem quandam rationalem, quæ & gloria Domini a Spiritu Sancto vocatur, ac nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Angelus, nunc Deus, nunc Dominus & Verbum*.

Et in Apologia 1. de Christo ait: *Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est*. In 2. etiam Apologia idem affirmat: *Ejus autem Filius, qui solus proprie Filius dicitur, Verbum antequam mundus crearetur, quod & una cum eo aderat, & genitum est, cum per illud initio omnia condidit & ornavit &c.* Habes igitur ex germanis Justini operibus illustria testimonia, in quibus ille Christi æternam existentiam & cum Patre consubstantialitatem affirmat.

Dices 1. Justinus in dialogo cum Tryphone Patrem Filii causam, & Filium Patris administrum, & proximam post primum illum Deum potestatem appellat. Scribit insuper, Prophetis non Patrem apparuisse, sed Filium; nam ille est *in supercœlestibus semper manens, ac nemini unquam visus, aut per se quemquam alloquutus, quem creatorem universorum & parentem intelligimus*.

Resp., quod a Justino Pater Filii causa dicitur, quatenus principium ejus est & origo, non quod Filius natura sit diversus a Patre; non enim per Filii generationem dispertita est Patris essentia. Hoc etiam in sensu Basilius in lib. 1. contra Eunomium, Nazianzenus oratione 29., aliique Græci passim causæ nomen usurpant, etiamsi Nicæno Concilio sint posteriores. Ita

Ita pariter adminifter dicitur Filius quia a Patre procedit, tanquam Verbum ejus, Sapientia, & Virtus, per quam univerfa creavit: non ergo adminifter eft, quia natura alius & per dependentiam inferior, fed quia *Genitus*; quo etiam in fenfu proxima Patri Poteftas, five Perfona vocatur, & fecundo in loco a Chriftianis habetur.

Quod poftremo fubjungitur, dumtaxat evincit, Juftini aliorumque Veterum fuiffe fententiam, quod non Pater, fed Filius ad quem pertinet mandata Patris hominibus nunciare, fub vifibili fpecie Patriarchis apparuerit, ut ita futuræ Incarnationi præluderet. At licet folus Filius circumfcriptam & afpectabilem formam induerit, habet tamen invifibilem & incircumfcriptam eandem cum Patre naturam; cum illum verum effe Deum eodem in dialogo Juftinus affirmet, & ex Scripturis oftendat. Ex hac igitur Juftini adfertione confequitur utique, Patrem a Filio quoad perfonalitatem effe diftinctum, non vero quoad naturam effe majorem.

At inftabis. Juftinus in eodem dialogo fcribit, Chriftum Dei Filium effe ex Patris confilio, & voluntatis adminiftratione, & voluntaria generatione. Ibidem etiam Chriftianorum nomine cohoneftat nonnullos, qui confitentur *effe Chriftum, quamvis hominem ex hominibus genitum effe pronuntient*. Atqui fi Juftinus docuiffet, quod Chrifto competat vera Divinitas, illum non ex confilio & voluntate, fed ex naturæ fæcunditate fcripfiffet effe progenitum; neque Chriftianos appellaffet eos, qui Chrifti divinitatem aperte negabant.

Refp. ad 1., quod Juftinus, & alii etiam Anti-

tiqui idcirco Filium ex Patris consilio & voluntate genitum asseruerunt, non quia ille ex deliberatione, aut ex contingentiæ libertate sit genitus; sed quia a Patre non infirmo, non invito, non per substantiæ abscissionem, suam derivet originem; ineffabili nempe modo, qui creatæ generationi omnino non convenit.

Ad 2. Integer Justini textus iste est; *Sunt enim quidam, o amici, ex genere nostro qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum esse pronuntient; quibus ego non assentior*. Quod si S. Martyr affirmantibus Christum purum hominem esse non assentitur, ergo Christi divinitatem ipse credidit docuitque. Qui vero a Justino dicti sunt *ex genere nostro*, Ebionitæ erant, hæretici scilicet, qui licet Christum Deum esse negarent, quia tamen Messiæ fatebantur adventum, Christianorum nomine designati sunt, ut a Judæis & Ethnicis secernerentur. Sed de hoc argumento prolixius alibi differemus.

Athenagoras.

Athenagoras, Philosophus Atheniensis, in celebri sua Apologia hæc inter alia scribit: *Pater, & Filius unum sunt, ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio per unionem, & potentiam spiritus; siquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est*. Et post pauca subdit. *primigenia hic est Patris progenies, quæ non ut facta, (a principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso λόγον, hoc est Verbum & rationem habet, cum rationalis ipse æternum sit) sed ut rerum cunctarum idea & perfectio foret, progressa est*. Ergo si per Athenagoram Pater & Filius unum sunt, & ab æterno simul existunt; dicendum profecto est, quod ille Filii divinitatem

tem & æternitatem apertissime fateatur.

Oppones. Scribit Athenagoras, quod Dei Filius sit Verbum Patris in efficacia, & quod ad rerum molitionem a Patre processerit: putavit ergo ille, quod Filius non extiterit ab æterno.

Resp., scripsisse Athenagoram, quod Filius sit Verbum Patris *in idea & efficacia*; in idea quidem, *siquidem mens & Verbum Dei, Filius Dei est*; ipsa scilicet Patris æterna cognitio: *in efficacia* vero; *ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, cum Pater & Filius unum sint, ita ut Filius sit in Patre &c.*, ut supra retulimus. Ex quibus apparet, & quod Filius ab æterno fuerit, & quod in tempore cuncta creaverit: ergo temporalis illa & externa progressio Filii ut omnia crearet ac perficeret, non excludit æternam ejus generationem, qua uti Patris ratio, productus est.

Irenæus.

S. Irenæus Lugdunensium Episcopus æternam Verbi generationem ac divinitatem sæpe commendat, ac præcipue in lib. 3. c. 18. ubi ait: *Exclusa est omnis contradictio dicentium: si ergo tunc natus est, non erat ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei existens semper apud Patrem*. Et in lib. 4. c. 14. de eodem Christo inquit: *Ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, & quoniam vere Deus est*. Denique in lib. 5. c. 4. scribit, homines in Christum peccasse, & ab eo remissionem accepisse: *Ille, in quem peccavimus, donavit remissionem*. At in verum Deum peccat homo, & Deus potest solus peccata remittere.

Dices. Irenæus in lib. 3. c. 8. ait, quod Deus Pater Filio præceperit, ut mundum conderet:

Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod cœli firmati sunt. Ex Irenæi ergo sententia Filius Patri subjicitur. In libro etiam 2. c. 49. Filium Patre minorem affirmat, & extremi judicii ignorantiam eidem attribuit.

Resp. ad 1., quod eo in loco Irenæus Gnosticos redarguit, qui putabant, adspectabilem hunc mundum ab Angelis esse creatum. Ostendit igitur, mundi opificem non creaturam esse, sed Deum Patrem, ejusque Verbum, per quod ipsi etiam Angeli facti sunt. Præceptum autem quod Pater Verbo dedit, est ipse Filius qui ex sua generatione est omnipotens Dei sermo, vox, jussio, sive mandatum: non enim humano more loqui aut præcipere potest Deus per verbum quod diversam habeat ab ipso substantiam.

Ad alterum. Carpit eo in loco Irenæus impudentiam Gnosticorum, qui mysteriorum omnium altitudinem penetrare se superbissime jactitabant: ideoque ut eos refutet, affirmat, quod Christus ultimi judicii diem ut homo nescierit; non quatenus humana ejus natura hujuscemodi cognitione caruerit, sed quia arcanorum scientia non oritur ex propria virtute humanitatis, qua Filius minor est Patre, sed ex perfectione Divinitatis quæ Filium Patri in omnibus ac perfecte reddit æqualem, & quæ Christo ut homini arcana revelat.

Clemens Alexandrinus.

Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes non longe ab initio, inquit: *Apparuit hominibus hic ipse* Christus *Verbum, qui solus est ambo, Deus & homo; & est nobis omnium causa bonorum*. Et in lib. 1. Pædagogi c. 7. *Noster autem Pædagogus, sanctus*

stus Deus Jesus, qui est dux omnis humanæ naturæ Verbum, ipse benignus & clemens Deus, est Pædagogus. Et in lib. 3. Pædagogi cap. ultimo scribit: *Laudemus unum Patrem, & Filium, Filium inquam Pædagogum & Magistrum, una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est*. Similia profert in libro 7. Stromateon, & alibi: docuit ergo Clemens, quod Christus Dei Filius sit verus Deus, & quod ab æterno cum Patre simul existat.

Dices 1. Clemens in lib. 5. Stromatum Sapientiam quæ omnia permeat, primum a Deo creatam esse pronunciat. Et in lib. 7. Filii naturam ait soli omnipotenti Deo esse propinquissimam. Ibidem affirmat, quod Filius Paternæ serviat voluntati. Ergo Clemens Verbi æternitatem ac consubstantialitatem aperte negavit.

Resp. ad 1. quod vel Clemens de sapientia loquitur quæ est ipsamet creaturarum prima productio & ordinata connexio: vel si sapientiæ nomine Dei Filium intelligit, dicendum est, quod creandi vocabulum ad exprimendam generationem usurpet, sicut alii quidam Veteres usurparunt. Et sane eodem in libro Clemens Filium nominat *ingenitum*, & *genitum absque principio*; quatenus scilicet non est in diversitate naturæ creatus.

Ad 2. Vel eo in loco natura, Græce φύσις, designat hypostasim; & sic Filii persona Patri propinquissima dicitur, quia in unitate substantiæ prima a Patre procedit. Vel si pro essentia sumitur, natura Filii Patri propinquissima est, quia in utroque una & eadem reperitur essentia: ut enim citato in loco subjungit Clemens: *Dei Filius non divisus, non dissectus,*

non migrans e loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus &c.

Denique Filius ut homo est, Patri proprie servit; servit etiam ut divina Persona, sed improprie, quatenus cum in unitate essentiæ, voluntatis, & actionis a Patre procedat, non potest ejus obsistere voluntati: quapropter ibi Filius a Clemente *omnium Dominus* appellatur.

Dices 2. Photius in Codice 109. notans errores qui in libris Hypotyposeon legebantur, istum secundo loco recenset: *Filium etiam ad creaturæ sortem deprimit*. Gelasius etiam in Romana Synodo Clementis libros inter apocryphos numeravit.

Resp., quod Hypotyposeon libri qui nunc non extant vel Clementis genuinum opus non fuerunt, vel illos Ariani falsarunt: unde Photius citato in Codice inquit: *Alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus*. Imo in Codice 110. scribit, quod in libris Pædagogi quos a Clemente fuisse compositos a nemine dubitatur, stolidæ illæ ac blasphemæ opiniones omnino non inveniantur. Et Codice 111. inquit, quod in libro VIII. Stromateon *multa quæ ibi*, in libris scilicet Hypotyposeon, *dicta fuerunt, oppugnat*.

Denique recenset quidem Gelasius Clementis libros inter apocryphos; non tamen affirmat, quod ille circa Christi divinitatem erraverit: ob alios ergo nævos qui in Clemente leguntur, Pontifex id decrevit.

Dionysius Alexandrinus.

In Dionysio etiam Alexandrino Episcopo clarissimum extat testimonium de Christi æterna existentia, divinaque natura. Is enim cum

in

in epiſtola quam ad Ammonium & Euphranorem ſcripſit, contra Sabellii hæreſim divinarum Perſonarum diſtinctionem egregie propugnaſſet; a Pentapolitanis apud Dionyſium Romæ Epiſcopum delatus eſt, quaſi quod nedum Perſonarum, ſed & Eſſentiæ diſtinctionem adſtruere voluiſſet. Hinc Romanus Pontifex Synodum coegit, & Dionyſio Alexandrino præcepit, ut fidem ſuam exponeret. Propterea celebrem hic edidit Apologiam in qua de Verbi divinitate ſplendide locutus eſt, & ab impacta calumnia ſe purgavit.

In ſua igitur Apologia Dionyſius de Dei Filio ſcribit: *Cum ſit ſplendor lucis æternæ, & ipſe omnino æternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, manifeſtum eſt & ſplendorem ſemper exiſtere.* De Chriſti etiam divinitate aperte ſic loquitur: *Criminationem eorum depuli, mendacemque oſtendi, qua ajebant, me Chriſtum negare Deo eſſe conſubſtantialem. Tametſi enim fateor, me hoc vocabulum nuſquam in ſcripturis ſacris vel inveniſſe vel legiſſe; attamen argumenta mea, quæ ſubſequuntur, quæque iſti tacuerunt, ab ea ſententia nihil diſcrepant.*

Affirmat ulterius, quod cum contra Sabellium ſcriberet, exempla agricolæ & vitis, navis & ejus qui navim fabricavit, ad id dumtaxat attulerit, ut diſtinctionem Perſonarum oſtenderet: & horum primum etiam in Evangelio legitur, ut Chriſti deſignetur humanitas. Additque, alias a ſe allatas eſſe ſimilitudines, quibus cum Perſonarum diſtinctione eſſentiæ unitas aptius demonſtratur; cujuſmodi exempla ſunt fluvii & fontis, ſeminis & plantæ &c.

Ex quibus omnibus me etiam non dicente conſequitur, quod nedum Dionyſius Alexandri-

nus catholicum dogma defenderit, verum & quod tertio Ecclesiæ sæculo ubique terrarum fides de Christi æternitate ac divinitate viguerit. Et Romæ quidem floruisse constat ex eo, quod ad defensionem ejus a Romano Pontifice convocata sit Synodus; & in Lybia, ex qua Pentapolitani ad Romanam scripserunt Ecclesiam; & in Ægypto, ubi Alexandrinus Dionysius Patriarchalem Cathedram obtinebat.

Opponi hic posset, quod Basilius Magnus in epistola 41., & Gennadius in libro de Ecclesiasticis dogmatibus c. 11. scripserunt, Dionysium Alexandrinum humano generi primum impietatis Anomæorum semina præbuisse.

At manifeste ex dictis evincitur, quod idcirco Dionysii fidem vellicaverit Basilius, quia Romæ illum accusatum novit, falsosque rumores de eodem sparsos audivit. Hoc enim Basilii verba non obscure significant, dum scribit: *Impietatis Anomæorum, quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit: causam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet.*

Ceterum Basilius in lib. de Spiritu Sancto c. 29. Dionysium laudat, & ad demonstrandam Spiritus Sancti divinitatem, Trinitatemque Personarum honorifice verba ejus adducit: quod sane declarat, Dionysium Christi etiam docuisse divinitatem, & Basilium ea quæ in epist. 41. leguntur, non asserendo, sed dubitando scripsisse.

Gennadius autem scriptor non in omnibus accuratus, ex lectione epistolæ S. Basilii deceptus est. Ergo hac in re fides præstanda potius est S. Athanasio qui diligenter omnia Dionysii scri-

scripta pervolvit, ejusque Apologiam recensuit, & tanti Viri nomen peculiari in libro feliciter vindicavit.

Aliorum Patrum nomina breviter indicantur.

Eandem fidem Patres alii firmissime tradiderunt, e quorum numero sunt Cajus R. E. Presbyter de quo Photius Cod. 48., Cyprianus in lib. 2. Testimoniorum contra Judæos, Gregorius Thaumaturgus in Confessione Fidei, quam in ejus vita refert Gregorius Nyssenus, Pamphilus Martyr in Apologia Origenis, Lucianus Presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, Methodius Tyri Episcopus, aliique ad unum omnes.

Tertullianus.

Postremo de Tertulliani mente paulo prolixius disputamus, quæ etiam uti antiquæ Traditionis testem, ad ostendendam Filii divinitatem, æternamque generationem adduci posse censemus. Et sane in lib. contra Praxeam c. 25. Trinitatem Personarum in unitate Essentiæ apertissime profitetur inquiens: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sunt, non unus: quomodo dictum est, Ego & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem*. Et in Apologetico cap. 21. de Dei Filio scribit: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus*. Tandem in lib. 5. contra Marcionem c. 8. de Christo ait: *In quo consistere haberet tota substantia spiritus, non quasi postea obventura illi, qui semper spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque*. Similia passim in Tertulliano leguntur, ex quibus apparet, omnino perperam a Socinianis illum nobis opponi.

Sed

Sed dices 1. Tertullianus non omnino unam eandemque substantiam in tribus Personis esse putavit, cum in lib. contra Praxeam c. 2. scripserit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres esse *non statu, sed gradu; nec substantia sed forma; nec potestate, sed specie*. Diversos ergo essentiæ gradus in Deo constituit; proindeque perfectam negat Filii cum Patre consubstantialitatem.

Resp., quod objecto in loco Tertullianus non gradus intelligat, qui naturam afficiant; de his enim in lib. contra Hermogenem c. 7. scribit: *Divinitas gradus non habet, utpote unica*. Gradus ergo exprimit, qui pertinent ad Personas, easque sub distincto relationum ordine constituunt. Loquitur enim contra Praxeam, qui unum quidem Deum mundi opificem admittebat; negabat tamen realem trium Personarum distinctionem, quia tres esse deos sive divinas substantias ex ea consequi affirmabat. Ergo adversus hæreticum non plures in Deo substantias, aut plures substantiæ gradus Tertullianus excogitat; sed Personarum tantummodo plures gradus, formas, speciesque fatetur. Unde post objecta verba subjungit: *Unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.*

Dices 2. Tertullianus in citati libri c. 6. scribit: *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione, & sermone disposuerat intra se, in substantias & species edere, ipsum primum protulit sermonem*. Censuit ergo ille, Sermonem sive Verbum a Deo fuisse productum, quando cuncta creavit, in temporis nempe principio.

Resp.,

Resp., quod Tertullianus, & quidam alii Veteres duplicem Filii generationem admiserint. Prima interna est, naturalis, ac proprie dicta, qua Pater intelligendo seipsum, Verbum ex utero ab æterno produxit. Altera externa, & impropria est, qua Pater per coeternum & consubstantiale Verbum, ex nihilo creaturas effecit; tunc enim Verbum genitum quodammodo ac prolatum fuisse dicitur, quia tunc virtutem suam ac sapientiam exterius declaravit. Quo etiam in sensu Christi resurrectio, generatio ab Apostolo nominatur Act. c. 13. v. 33., quia videlicet Christus a mortuis resurgens, se verum Dei Filium demonstravit; ita ut temporalis resurrectio sit progressio quædam, & effectus generationis æternæ.

Cum igitur in objecto textu Tertullianus affirmet, creaturas per Verbum fuisse editas, & per idem Verbum ab æterno intra Deum fuisse dispositas; profecto liquet, quod ex ejus mente ab æterno Verbum extiterit. Quapropter ibidem adjungit: *Ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo & facta jam quantum in Dei sensu.*

Sed & in ejusdem libri c. 5. Tertullianus apertius indicat, quod temporalis Verbi generatio, sive missio, vel dictio ad externum effectum, æternam generationem ad cogitatum in Patris mente supponat. *Etsi Deus*, inquit, *nondum Sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa, & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, & disponendo secum, quæ per Sermonem mox erat dicturus.*

At instabis. Tertullianus ibi c. 7. subdit: *Hæc est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum*

tum in nomine Sophiæ : Dominus condidit me initium viarum. *Dehinc generatus ad effectum :* Cum pararet cœlum, aderam illi simul. Ergo videtur quod recte scripserit Clericus in Hist. Eccles. ad annum 186., docuisse Tertullianum, quod Verbum in Dei quidem sensu ab æterno fuerit paratum; at quod substantiam tunc acceperit, genitumque dumtaxat fuerit, quando mundum condere Deus instituit.

Resp., Tertulliani fuisse sententiam, quod Ratio quæ in Deo semper fuit, internum aliquid designet, & quod tunc illa Sermonis nomen acceperit, quando exterius operata est: sermo enim externum sonum vocemque significat. Hinc ait ille in citati libri c. 5. *Jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis Rationem competat antiquiorem haberi, quia non Sermonalis à principio, sed Rationalis Deus etiam ante principium.*

Juxta igitur Tertulliani mentem Dei Filius ab æterno fuit, cum sit ipsamet Patris Ratio, & Pater ante principium est rationalis; quamvis rigorose loquendo, ei sermonis nomen non nisi in tempore ex rerum creatione conveniat. Et ideo dicit in citato c. 7. *Hæc est nativitas perfecta Sermonis;* id est, adæquata Verbi processio duplicem generationem ejus includit: alteram quidem intra Deum, & æternam, & proprie dictam, quæ est *ad cogitatum in nomine Sophiæ:* alteram vero metaphoricam & externam qua generatus Sermo ducitur ad effectum.

Denique quod Dei Sermo in sua subsistentia, licet non in metaphorico sensu & quoad externam declarationem inspectus, extiterit ab æterno, satis superque declarat Tertullianus, dum

dum contra Praxeam c. 8. scribit : *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre ; & apud Deum semper , sicut scriptum est , Et Sermo erat apud Deum ; & nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia, Ego , & Pater unum sumus.*

Dices 3. In libro contra Hermogenem c. 3. Tertullianus affirmat, fuisse tempus , quo Filius non extabat. Scribit enim : *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est : non tamen ideo Pater, & Judex semper , quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium , nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus , cum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Conceptis ergo verbis Dei Filio denegat æternitatem.

Resp., quod cum Hermogenes solius materiæ æternitatem admitteret ex eo , quod Deus ab æterno Dominus fuerit ; Dominus autem esse non poterat, nisi existeret materia, in quam dominium exerceret: reponit Tertullianus, quod sicuti ab æterno non fuit Judex puniendo delictum, nec Pater benefaciendo ante creationem; ita neque ab æterno fuit Dominus, potestatem suam in materiam exercendo : sed *ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus*. Nulla itaque ibi quæstio est de unigenito Dei Filio ; sed agitur dumtaxat de rebus hisce creatis , & de externa Patris denominatione , quæ in temporali creatura fundatur. Hoc etiam in sensu scribit Clemens Alexandrinus in lib. 1. Pædagogi c. 9. *Priusquam enim Creator esset, Deus erat, bonus erat ; propterea Opifex & Pater esse voluit*. Denique in citati libri c. 1. Tertullianus aperte fatetur ,

Chri-

Christum Deum æternum esse, & universa prorsus, nec ipsa excepta materia, e nihilo produxisse.

Urgebis. Tertullianus in c. 18. adversus Hermogenem ostendit, conditam esse materiam ex eo quod condita sit ipsa etiam Dei Sophia: ergo putavit ille, quod Dei Filius, non secus ac materia, e nihilo sit productus. Hinc & in libro contra Praxeam c. 9. Patrem Filio majorem esse declarat, inquiens: *Pater enim tota substantia est, Filius vero derivatio totius, & portio.*

Resp. ad 1., quod Tertullianus ibi afferat, solum Patrem innatum esse & inconditum; Sophiam vero a Patre habuisse principium: ex quo infert, quod materia etiam producta sit, & æterna dici non possit. At ulterius indicat, quod cum Sophia sit ex ipso & in ipso Deo, non per creationem, aut per diversitatem essentiæ a Patre procedat; adeoque principium tantum habet originis: materia vero cum extra Deum sit, habeatque omnino diversam ab illo substantiam, per temporalem ac proprie dictam creationem e nihilo est educta. *Si enim*, ait, *intra Dominum, quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit; Sophia scilicet ipsius . . . : multo magis non capit, sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit.*

Ad alterum, Portionis, ac derivationis nomine ipsam Filii generationem Tertullianus intelligit, cujus respectu Pater Filio major dicitur origine, non natura, nisi dumtaxat humana: ostendit enim contra Praxeam, quod cum essentiæ unitate admittenda sit pluralitas Personarum; unde subjungit: *Sic & Pater alius a Filio, dum Filio major; dum alius qui*

ge-

generat , alius qui generatur : dum alius qui mittit , alius qui mittitur : dum alius qui facit, alius per quem fit .

Eodem in ſenſu portionis vocem accipit Tertullianus in Apologetico c, 21. , ubi poſt verba quæ inter probandum adduximus , addit : *Etiam cum radius ex ſole porrigitur , portio ex ſumma ; ſed ſol erit in radio , quia ſolis eſt radius , nec ſeparatur ſubſtantia , ſed extenditur.*

De Origene .

Ad Origenem denique quod pertinet , arbitramur , neque certum , neque probabile ferri poſſe judicium de fide quam ille circa Chriſti divinitatem habuerit ; tum quia omnes vel fere omnes ejus libros eſſe corruptos , non ſine ulla ratione a quibuſdam aſſeritur ; tum quia veteres ac recentiores præclariſſimi Viri plurimum inter ſe de Origenis mente diſſentiunt . Ceterum videtur, quod ille Filium quidem Patri coæternum eſſe cenſuerit, juxta tamen Platonis ſententiam in Trinitate gradus admiſerit; aſſerendo videlicet , Patrem Filio , & Filium Spiritu Sancto eſſe majorem : quod non obſcure colligitur ex Hieronymo in epiſt. ad Avitum , ex Epiphanio ad Joan. Jeroſolymitanum , ex Auguſtino in lib. de hæreſibus , ex Juſtiniano Imperatore , aliiſque non paucis . Conſule Laurentium Berti in lib. 8. c. *6.*

Inter patronos autem Origenis præter Tournely, Juveninum , aliofque legendum eſt opus , cui titulus : *Divinitas Domini noſtri Jeſu Chriſti* , in quo doctiſſimus Auctor ex Monachis S. Mauri libro 4. cc. 14. 15. & *16.* ad Origenis defenſionem plura ſuppeditat argumenta.

CAPUT X.

Quod Nicæni Patres ad debellandam hæresim Arianam rectissime vocabulum ὁμοούσιον usurpaverint.

CUm Arius Ecclesiæ pacem turbare, suamque hæresim longe lateque diffundere niteretur, Silvester I. Romanus Pontifex, instante opemque ferente Constantino Magno Imperatore, Christi anno 325. Nicææ in Bithinia Œcumenicum I. Concilium congregavit, cui præfuerunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, tanquam Legati Romani Pontificis, & Episcopi 318. Filium Patri consubstantialem sive *homousion* esse dixerunt.

Vocabulum istud rejecerunt Anomæi sic dicti ex eo, quod rigide Arianam hæresim defendentes, Filium creaturam esse, Patrique dissimilem affirmabant. Sed & alii licet Filium Patri similem assererent, consubstantialem tamen illum appellare nolebant; ex quo Semi-Ariani vocati sunt. Quidam etiam recentiores hæretici vocabulum ὁμοούσιον, tanquam a Gnosticis inventum, & ad exprimendam catholicam fidem ineptum, perperam adhibitum fuisse scripserunt.

Propositio. Rite Nicæni Patres ad Arii hæresim profligandam, vocem ὁμοούσιον usurparunt.

Probatur. Vocabulum *homousion* ex homu *simul*, & usia *substantia* compositum est; proinde-

indeque significat, quod duo unius sint ejusdemque substantiæ, essentiæ, ac naturæ: ergo hujuscemodi vocem Nicæni Patres rectissime adhibuerunt, ut Arianam hæresim profligarent; Dei namque Filium Arius creaturam esse dicebat, quia factus esset ex nihilo, tempusque aliquando fuisset, quo ille minime existebat: at dum Filius Patri consubstantialis asseritur, demonstratur etiam, quod sicuti Pater creatura non est, non eductus ex nihilo, non productus in tempore; ita & de Filio similiter sit dicendum, cum una & eadem sit utriusque substantia.

Accedit, quod Ariani quascumque fidei formulas eludere conabantur, ita ut Dei Filium ex Deo genitum, Deo similem, & Deum esse concederent; eo tamen in sensu, quo propositiones istæ de homine etiam affirmantur, Filium autem Patri consubstantialem esse præfracte negabant. Aptissime igitur Nicæni Patres vocabulum illud Symbolo addiderunt, ut omni remota verborum ambage, Dei Filium verum Deum esse decernerent. Hinc scribit Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi: *Episcopi considerata illorum hypocrisi & vafritie, prout Scriptura dicit:* Dolus in cordibus architectantium mala; *ipsi quoque necessitate coacti sunt sententiam earum rerum ex Scripturis colligere, & quæ prius dixerant, apertioribus verbis repetere, & scribere, Filium consubstantialem esse Patri, ut non solum similem similitudine, sed eundem ea voce qua ex Patre esse dicitur, significarent.*

Objicies 1. Vocabulum *Homousion* in Scriptura non legitur; neque Patres qui Nicænum præcessere Concilium, illud ullatenus usurpa-

runt: non ergo recte Nicæni Patres Filium esse *homousion* decreverunt.

Resp. ad 1., quod licet vocem *Homousion* quoad ipsas syllabas Scriptura non habeat, habet tamen hoc idem quod denotat *Homousion*. Dum enim in Scripturis legitur: *Ego, & Pater unum sumus; Ego in Patre, & Pater in me est;* quid aliud indicatur, quam quod Patris & Filii sit una substantia, adeoque quod Filius Patri *Homousios* sit dicendus? *Quid est enim contentiosius*, scribit hac de re Augustinus in epist. 238. ad Pascentium, *quam ubi de re constat, certare de nomine?*

Præterea neque vox αγέννητος *innascibilis*, neque vox ὁμοιούσιος *similis substantiæ* legitur in Scripturis; & tamen Ariani utroque vocabulo ad suam exprimendam hæresim abutebantur. Imo ubinam vel in Scriptura, vel in Patribus habentur, quæ illi passim ajebant: *Verbum Dei non semper fuit, ex nihilo & ex non extantibus ortum est &c.? In uno*, inquit Hilarius in lib. contra Constantium, *novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur, ubi autem Religionis maxima, & sola cautela est, excluditur.*

Ad alterum igitur jam responsio patet, posse scilicet Ecclesiam nova inferre vocabula, ut novi refutentur errores. Deinde subjungimus, falsum omnino esse, quod nemo ex Patribus ante Nicænam Synodum ea voce sit usus; cum consubstantialem Patri Filium affirmaverint S. Ignatius in epist. ad Magnesianos, Dionysius Alexandrinus in Apologia, Pamphilus in Apologia Origenis, aliique, de quibus Eusebius, licet ad partes Arii propensior, in epistola ad Cæsarienses suos scripsit, apud Socratem lib. 1.

c. 8.

c. 8. *Nonnullos ex veteribus insignes Episcopos, & discretos Scriptores in explicanda Patris ac Filii divinitate hoc vocabulo*, Homousion, *usos esse cognovimus*.

Objicies 2. Antiochena Synodus quæ Nicænam annis fere 60. præcessit in Paulo Samosateno vocabulum *homousion* reprobavit: non ergo illud recte Nicæni Patres adhibuerunt; præsertim cum non pauci adhuc Paulianistæ tunc essent, qui ea voce abuti facile potuissent; neque fas erat, ut dum Ariana hæresis oppugnabatur, Sabelliana resurgeret.

Resp. 1., negando quod in Synodo Antiochena anno 270. *Consubstantiale* fuerit reprobatum. Non enim 10. anni adhuc effluxerant, ex quo Dionysius Alexandrinus, & Dionysius Romanus Pontifex, & universa Ecclesia vocem illam professa publice fuerat. Quare creditu dignum non esse videtur, quod Antiocheni 80. Episcopi, religiosissimi Patres, *Homousion* quod etiam apud laicos Fidei insigne tunc erat, edito decreto ab usu Ecclesiæ removerent.

Deinde decretum illud, quo *Consubstantiale* dicitur esse damnatum, vel ipsos latuit Arianos, & non nisi anno 358. in Ancyrano Concilio ejus mentio primum habetur. At quomodo res tanti momenti per 90. annos in tenebricoso silentio jacuisset? Quomodo Eusebius Arianorum defensor acerrimus in epistola paulo post Nicænam Synodum conscripta, *Homousion* usurpatum ab antiquis Scriptoribus fassus est, damnatum vero omnino non novit?

Ergo dicendum esse videtur cum Cl. Auctore operis: *Divinitas D. N. J. C.* in lib. 4. c. 29.; quod Semi-Ariani qui *Homousion* rejiciebant, in quadam epistola *de Homousii*, *& Homœusii*

expositione omnium primi *Consubstantiale* ab Antiochenis Patribus damnatum, etsi non de industria, incertis tamen rumoribus decepti, scripserunt. Hinc hujusce rei testes, & argumenta non protulerunt; neque ipsa Synodi verba referre sunt ausi; licet id necessarium esset in re tam inaudita, quam Adversarios rejecturos facile poterant suspicari. Ostendit insuper laudatus Auctor, quod Athanasius, Basilius, Hilarius Decretum illud Synodi Antiochenæ non legerint; sed a Semi-Arianis objectum ita concesserint, ut humanitatis tantum causa negare noluisse, ex eorundem trium Patrum verbis non obscure monstretur.

Ad dictorum confirmationem accedit 1., quod nedum Ariani, sed & Sabelliani sive Paulianistæ vocabulum *Homousion* respuebant. *Nam ut*, scribit Epiphanius hæresi 69., *serpens bituminis odorem refugit, aut cervæ halitum, aut gagatæ lapidis suffitum, aut styracis fumum; sic Arius, & Sabellius Consubstantialis vocem illam, ac professionem vehementer oderunt*. Quod si Samosatensis odit *Homousion*; non ergo Christum Patri Consubstantialem asseruit: ergo neque Synodus Antiochena in Samosatense *Homousion* reprobavit.

Accedit insuper, quod *Usiæ* vocabulum non personam significat, sed naturam: ergo & *Homousios* non personæ, sed essentiæ denotat unitatem: ergo credendum non est, quod Sabelliani hac voce sint usi, ut Personarum pluralitatem in Deo negarent; cum potius per *Homousion* nedum substantiæ unitas, sed & Personarum distinctio declaretur. Nam ut in epist. 300. scribit Basilius: *Vox ista Homousios Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypostaseos*

iden-

identitatem, perfectamque Personarum notionem inducit; non enim idem ipsi Consubstantiale est, sed alterum alteri.

Resp. 2. distinguendo propositionem, Synodus Antiochena proscripsit *Homousion* juxta naturalem obviumque sensum, nego propositionem: juxta pravum sensum quo illud Paulus exponebat, permitto proposit. Uti jam diximus, *Homousion* ex sese nihil aliud denotat, quam plures Personas eandem essentiam habere communem: & licet in creatis corporeisque rebus quidquid alteri *Homousion* est, specie quidem, non autem numero eandem naturam cum illo participet: cum tamen divina natura ratione infinitatis suæ simplicissima sit, potest pluribus communicari suppositis, quin ad horum multiplicationem, ipsa etiam debeat multiplicari; proindeque divinæ Personæ consubstantiales sibi invicem dici possunt per eandem indivisam Essentiam.

At Paulus quasi quod eodem modo Catholici *Homousion* in divinis admitterent, quo a Philosophis admittitur in creatis: ita *ad hominem*, ut inquiunt, argutabatur: Si Christus purus homo non esset, esset igitur Patri consubstantialis: ergo Patris substantia divisioni ac scissioni esset obnoxia: hoc autem admitti non potest: non ergo Christus consubstantialis est Patri: ergo & ipse purus homo dicendus est; & Deus cujus natura non scinditur, & cui non est Filius consubstantialis, non nisi unicam potest habere Personam.

Itaque hoc tantum in sensu permitti poterit, quod Antiochena Synodus Filium Patri consubstantialem esse negaverit; quatenus in plures veluti partes non dividitur divina sub-

stantia, dum illam Pater Filio communicat. Nicæni vero Concilii Patres in nativo sensu vocabulum *Homousion* acceperunt, conceptisque verbis affirmarunt in Symbolo, Dominum Jesum Christum esse *natum de Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri*. Ita igitur a Nicæno Concilio Christus Patri consubstantialis asseritur, ut simul etiam ab eo genitus esse dicatur; cumque nulla omnino res sit quæ seipsam gignere possit, jam in verbis illis cum unitate substantiæ Personarum quoque distinctio demonstratur: adeoque periculum nullum erat, quod Paulianistæ prædictam vocem, ad pravum sensum ullo modo deflecterent.

Ergo licet dare vellemus ab Antiochenis Episcopis vocem *Homousion* juxta Pauli interpretationem esse rejectam; non tamen consequeretur ex eo, quod perperam Nicæna Synodus vocem illam adhibere voluerit. Unde scribit Hilarius in lib. de Synodis n. 85. *Male intelligitur homousion. Quid ad me bene intelligentem? Male homousion Samosatenus confessus est. Sed numquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt: sed trecenti & decem octo nuper receperunt.*

Sed instabis. Ex supradictis apparet, quod vocabulum *Homousion* in creatis essentiæ divisionem ac mutabilitatem includit: dicendum igitur est, quod ad divina illud perperam transferatur. Sicuti nimirum genus, & species, & prædicata denique omnia, quæ divisionem denotant & mutabilitatem, de Deo enunciari non possunt,

Resp., quod quædam nomina non tantum

ra-

ratione rei de qua affirmantur, sed ex sui etiam institutione imperfectionem involvunt; uti generis nomine Philosophi prædicatum illud intelligunt, quod in distinctas diversasque species distribui cogitamus: ita *animal* in hominem, equum, aliasque differentes essentias partiri concipimus. Hæc igitur aliaque hisce similia nomina ad exprimenda Dei attributa & perfectissimas operationes adhiberi non possunt. At vocabula illa quæ ex sese defectum omnino non implicant, tum de Deo, tum de creaturis rite possunt enunciari; sicuti scilicet Patris, & Filii nomina quamvis in creatis dependentiam, naturæque scissionem includant, de Deo tamen sine ulla imperfectionis admixtione dicuntur. Ejusmodi etiam est *Homousion*, quod ex sui conceptu eandem designat usiam; licet enim in creatis quæ *Homousia* nuncupantur, illorum non prorsus una, sed numero saltem natura sit multiplex; dum tamen *Homousion* de Deo dicitur, eadem indivisibilis & infinita substantia in pluribus Personis esse monstratur.

Urgebis. Substantiæ nomen si in seipso ac proprie accipiatur, imperfectionem involvit: ergo ad designanda Dei prædicata usurpari non potest. Scribit namque S. Augustinus in lib.7. de Trin. c. 5. *Res ergo mutabiles, neque simplices, proprie dicuntur substantiæ*. Et post pauca: *Unde manifestum est, Deum abusive substantiam vocari*. Non ergo recte ad revincendos hæreticos Nicæna Synodus *Consubstantiale*, quod a substantia oritur, usurpavit.

Resp., quod substantiæ nomen trifariam sumi potest; quandoque enim subsistentiam sive personalitatem ostendit; quo in sensu Græci passim tres in Deo substantias esse dixerunt;

atque ita licet substantiæ nomen de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto proprie enuncietur; quia tamen distinctæ realiter sunt Personæ, earum una alteri consubstantialis esse non potest. Aliquando etiam substantia essentiam, sive essendi significat rationem; & sic de Deo proprie affirmatur: unde scribit Augustinus Enarrat. in Psalmum 68. part 1. *Naturæ ipsæ, substantiæ dicuntur. Deus est quædam substantia: nam quod nulla substantia est, nihil omnino est.* Aliquando denique substantia id dicitur, quod subjicitur accidentibus; & de hujuscemodi significatione substantiæ objecto in loco loquitur Augustinus; unde ait: *Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid, tanquam in subjecto, & non est simplex.* &c. At eodem in cap. 5. S. Doctor admittit, Deum dici posse substantiam, si vocabulum istud sine imperfectione solam designat essentiam; inquit enim: *Unde hoc est Deo esse, quod subsistere; & ideo si una essentia Trinitas, una etiam substantia*. Et hoc in sensu Nicæni Patres substantiæ nomen accipiunt, dum definiunt, in Patre & Filio eandem naturam, sive essentiam reperiri: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero &c.*

Objicies 3. Vocabulum *Homousion* nedum ab hæreticis, sed a pluribus etiam Catholicis, & ab ipso Imperatore Constantino rejectum est. Lege Socratem lib 1. c. 8., Sozomenum lib. 3. c. 18., & Basilium in epist. 300. Non ergo prudenter adhibitum fuisse videtur; præsertim cum vox *Homiusion*, vel *Homœusion*, id est, *substantia similem*, quamplures Episcopi recipiebant, æternitatem ac divinitatem Filii evidenter exprimeret: ergo saltem ob pacis studium re-

reticere *Homoufion* Nicæna Synodus debuiffet.

Refp., quod Dei Filius Patri *Homæufios* dici poffit, cum nulla creatura Deo fit per omnia fimilis: hinc qui Nicænam fidem circa Verbi divinitatem profitebantur, Filiumque Patri *Homæufion* effe dicebant, licet *Homoufion* proferre nollent, ab Athanafio, Hilario, Bafilio, aliifque SS. Epifcopis de hærefi accufati non funt. At quia Semi-Ariani per *Homæufion* fuam occultare perfidiam, ac perfectam fubftantiæ fimilitudinem, unitatem, identitatem in Patre Filioque negare ftudebant; idcirco *Homoufion* potius, quam *Homœufion* Patri Filium Nicæna Synodus appellavit: & qui *Homoufion* refpuebant, etfi catholicam fequi fidem profiterentur, non omni penitus fufpicione vacabant. Quapropter Hilarius in lib. de Synodis n. 91. hac de re fcribit: *Oro vos, Fratres, adimite fufpicionem, excludite occafionem. Ut probari poffit homœufion, non improbemus homoufion.*



C A-

CAPUT XI.

An Eusebius Cæsariensis orthodoxam de Verbi divinitate fidem habuerit?

POst Nicænæ Synodi celebrationem nonnullos magni nominis Viros in gravem violatæ fidei suspicionem apud aliquos venisse notissimum est. Nos hoc in capite de Eusebio Cæsariense, in sequente autem de Liberio, & Osio differemus, de quibus præcipue quæstionem movere Theologi consueverunt. Quod ergo ad Eusebium spectat, non una est Eruditorum opinio. Sunt qui Eusebii fidem in ambiguo adhuc pendere putarunt, quos inter eminet P. Berti in lib. 8. c. 11. Sunt qui defendant, ut Valesius in præfatione ad Eusebii H. E. Accusant denique alii, quos inter Baronius, Alexander, Tournely, Jueninus &c. Postremam hanc sententiam nos uti vero magis similem amplectimur, ac breviter demonstramus.

Propositio. Eusebium Arianæ hæresis labe fuisse infectum, multiplex ratio persuadet.

Probatur 1. ex ipsius Eusebii scriptis. Inquit enim in lib. 7. Præparationis Evangelicæ c. 15., quod *vis quidem illa immensa Dei præpotentis omnique oratione major, confertim ac simul universa comprehendat: tum Patrem consequatur Verbi divini potentia, quæ reliqua pariter & moliatur & illustret; quam ob causam lux vera, & justitiæ Sol ab Hebræis nominari consue-* vit.

vit. Deinde post secundam illam naturam lunæ quasi loco, Spiritus Sancti natura succedat. Sicut igitur cœlestia corpora non subsistentia tantum, sed & essentia differunt; ita per Eusebium Pater, Filius, & Spiritus Sanctus inter se non tantum hypostasi, sed ipsa quoque substantia distinguuntur.

In libro item 1. de Ecclesiastica Theologia c. 11. ait: *Quod si vereantur, ne duos deos pronuntiasse videatur, sciant oportet, quod utcumque licet Filium profiteamur Deum, unus tamen nostra sententia Deus sit: sit ille nimirum; qui solus principio caret, qui ingenitus, qui propriam a se possidet divinitatem, qui ipsi insuper Filio existendi causam, & taliter existendi dedit* &c. Audis illud *utcumque*? Audis quod solus Pater sit Deus? Non ergo dicendum est, putasse Eusebium, quod Filio competat summa ac vera divinitas: præsertim si notare volueris, opus istud ab Eusebio post Nicænam Synodum fuisse compositum; quando scilicet oportebat, ut suam ille fidem circa Verbi divinitatem apertissime fateretur. At Eusebius nedum citato in libro, verum & alibi passim Arianum virus evomuit; lege librum 1. contra Marcellum capite præsertim 1. 7. & 19. Lege etiam epistolam ad Euphrationem; quibus ex locis Filio æternitatem ac cum Patre consubstantialitatem ab illo negatam fuisse, non obscure colligitur.

Probatur 2. ex agendi ratione, quam Eusebius in gratiam Arii ejusque gregalium, & in Arianæ hæresis patrocinium semper adhibuit. Nam, præterquam quod ante Nicænæ Synodi celebrationem pro Ario scripsit ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ, ut quem damnaverat, in

in suam iterum communionem exciperet ; in ipso Nicæno Concilio fidei Symbolo subscribere primum renuit, quamvis postridie piissimi Imperatoris minas veritus simulate subscripserit. Absoluto deinde Concilio, fœdus cum Arianis arctius confirmavit, eorum conventiculis interfuit præfuitque. Athanasium Alexandrinum, & Eustachium Antiochenum, strenuum utrumque Nicænæ fidei vindicem, plurimum divexavit. In libris insuper contra Marcellum Arianæ factionis Episcopos impense commendat. Arii hæresim ejusque damnationem alto premit silentio in Hist. Eccl., sicut & hæretici illius mortem *in vita Constantini* ; cum e contra multus sit in laudanda Hierosolymitana Synodo, quæ nefarium hæreticum recepit. Quis modo Eusebium Arianum fuisse non afferet, si tali tantoque studio Arii semper & ubique partes adjuvit?

Probatur 3. ex Veterum testimoniis. Eusebium in Arianorum numerum referunt Athanasius in lib. de Decretis Nicænæ Synodi, Hieronymus tum alibi, tum in epist. 65. ad Pammachium, Epiphanius hæresi 68., Theodoretus in lib. 1. c. 21. Hilarius denique, & Eustachius, & Episcopi Ægypti in Conciliis Tyrio & Alexandrino, & VII. Œcumenica Synodus idem de Eusebio judicium protulerunt.

Objicies 1. Eusebius in lib. 1. de Eccl. Theol. c. 20. de Filio ait: *Deus est, ac Dominus similiter atque Pater, & Dominus ac Deus, quomodo per Scripturas universas annunciatur*. Exponens insuper illud, *Deus erat Verbum*, declarat non θεὸν appellari, sed θεὸν, *quia habet divinæ dignitatis excellentissimam naturam*. In libro etiam

jam 7. Demonstrat. Evan. c. 2. insignem illum Michææ locum de Christo recitat, *Egressio ejus a diebus æternitatis;* & addit: *Quod ab æterno existat, cui est accommodandum nisi soli Deo?* In Christo igitur Eusebius veram divinitatem Patri coæternam agnovit. Denique in libro 1. & 2. contra Marcellum propria summi Dei attributa, omnipotentiam scilicet, infinitatem, & gloriam miraculorum, Filio convenire fatetur.

Resp., quod quæ adducta sunt, non ostendunt, orthodoxam fuisse Eusebii fidem, & admisisse illum in Patre, & Filio eandem divinitatis essentiam. Novimus enim consuetam hæreticorum vafritiem, qui perversum doctrinæ sensum verborum ambiguitate celare conantur. Hinc Semi-Ariani Filium esse naturalem Patris imaginem affirmabant, eidemque divinam substantiam concedebant, non tamen eandem numero in utroque. Potuit igitur & Eusebius Filium appellare Deum ac Dominum, uti Pater est, per naturæ similitudinem, non per identitatem; & potuit affirmare, quod Filius ab æterno existat, non actu, sed potentia: nam in epist. ad Cæsarienses scribit, quod Verbum *antequam actu gigneretur, potentia erat in Patre, ingenita quadam ratione*. Quem locum frustra Caveus objicit, apud Socratem non haberi; extat enim apud Gelasium Cyzicenum, & Theodoretum, ac etiam apud Athanasium in Decretis Nicænæ Synodi n. 3. Dicere denique potuit Eusebius, quod Filius sit verus Deus, quod perfectiones Dei habeat, quod creatura non sit; quatenus creaturis aliis antecellat, non quod vere homousion Patri Filium esse crediderit.

At dices. Eusebius in lib. 2. de Eccl. Theol. c. 4.

c. 4. Filium docet revera esse αὐτόθεον : atqui *Autotheon*, sive *Deum a seipso*, Filium ille appellare non potuit, quatenus a nullo principio haberet originem; non enim negavit Eusebius, Filium a Patre fuisse productum : ergo *Autotheon* esse scripsit, quia non participatione, sed substantia Filium summum Deum esse credebat.

Resp., quod doctus ac versutus hæreticus Filium dicere potuit *Autotheon*, non quia principio careat, non quia ipsam habeat summæ divinitatis essentiam; sed quia uti primarius Patris minister, non alio interposito Verbo, sed immediate ab illo est genitus : per quod a ceteris differt creaturis, ad quarum omnium productionem veluti instrumentalis causa concurrit. Non ergo hæc aut alia hisce similia testimonia probant, docuisse Eusebium, quod omnino eadem sit in Patre, Filioque substantia; præsertim cum in objecti libri c. 7. non obscure significet, Filium etiam ut Deus dicitur, Patre esse minorem: *Necesse non est, eum duos deos fateri, qui duas admiserit hypostases. Nam neque illas honore pares ponimus, neque ambas principio carentes, aut ingenitas.*

Objicies 2. Eusebius, uti ex ejus epist. ad Cæsarienses apparet, nedum consubstantialis vocem admisit; sed & anathema dixit eis, qui assererent, Verbum ex non extantibus factum esse, & fuisse tempus, cum illud non existeret. Confessus est etiam, Verbum factum non esse, sed genitum; & alia hujusccmodi scribit, quæ cum Ariana hæresi componi omnino non possunt. Ergo catholicam de Dei Verbo fidem, saltem post Nicænum Concilium, Eusebius professus est.

Resp.,

Resp., quod hoc tantum in sensu crediderit Eusebius, Filium ex Patris substantia fuisse genitum, eidemque consubstantialem, quatenus ut ipse in citata epistola loquitur, non juxta corporum modum, neque instar mortalium animantium; id est, non per divisionem substantiæ, neque per abscissionem, nec per mutationem paternæ substantiæ atque virtutis, Filius a Patre processerit. At non iste est sensus, quem per voces illas Nicæni Patres exprimere voluerunt; idcirco enim ex Patris substantia eidemque consubstantialem Filium appellarunt, quia licet Patris & Filii non sit una Persona, est tamen utriusque perfecta unitas & identitas in natura. Eusebii. vero expositionem nullus Arianorum admittere recusasset.

Consensit etiam anathematismo eorum qui Filium ex non extantibus factum esse dixerunt, non quia ipse crederet, Filium vere homousion esse Patri; sed tantum quia *nulla divinitus inspirata Scriptura istis unquam usa sit vocibus*. Imo in lib. 4. Demonst. Evang. c. 1. scribit, quod nec ipsæ creaturæ ex nihilo & ex non extantibus sint productæ: *Quomodo enim id quod non est, alteri ut sit causa erit? Omne autem quodcunque est, ex uno qui solus est, & ante omnia est, quique olim etiam illud respondit: Ego qui sum; ut esset, & accepit, & habet*. Nihil igitur ad Eusebii causam defendendam ex anathematismo illo consequitur.

Pari ratione probavit voces illas, *Genitum, non factum*, non quia sensit, Filium in unitate substantiæ a Patre procedere; sed quia aliæ creaturæ per Filium a Patre sunt factæ, Filius autem immediate, ab illo suum esse receperit: & ideo dixit, *eum non esse facturam, his quæ*

per

per ipsum facta sunt , similem ; sed longe præstantioris , quam reliquas creaturas , esse substantiæ . Non ergo post Nicænum Concilium orthodoxam fidem Eusebius amplexus est ; præsertim cum in citata epistola fateatur , se idem credere ac docere , quod præteritis temporibus crediderat & docuerat .

Objicies 3. Gelasius Papa in libro de duabus naturis inter catholicos Scriptores Eusebium recensuit, & Pelagius etiam R. P. illum inter Historicos honoratissimum nominavit . Negant insuper illum Ariana hæresi fuisse pollutum Socrates in H. E. c. 8., Gelasius Cyzicenus in lib. 2. de Synodo Nicæna c. 1., aliique permulti . Denique Eusebius Sanctorum catalogo adscriptus legitur nedum in Martyrologio Usuardi , sed & in antiquo Breviario Lemovicensi , & in aliis Ecclesiasticis monumentis .

Resp. , quod ex veteribus Græcis nemo Eusebium defendit præter Socratem , & Gelasium Cyzicenum qui est verus auctor libri de duabus naturis : est autem omnino perspectum , utrumque Historicum dubiæ fidei fuisse , & à vero longius non semel errasse . Et licet Latini Eusebium ex sola Historia Ecclesiastica cognoscentes , illum nedum impietatis non arguerint , quin potius uti Scriptorem Catholicum quandoque laudaverint ; posteaquam tamen Baronius veterum Græcorum qui Eusebii scripta gestaque omnia optime noverant , judicia secutus est , & Eusebii nomen a Romano Martyrologio eliminavit ; plerique doctissimi Critici sententiam Baronii suo calculo confirmarunt .

Cum igitur neque Romanus Pontifex Eusebium inter Sanctos adscripserit , neque illum uti talem universalis agnoscat Ecclesia , nihil contra no-

strам

ſtram adſertionem ex propoſita objectione deducitur: nam qui de Euſebii ſanctitate teſtimonium reliquerunt, decepti facile ſunt, non advertentes, præter Euſebium Cæſarienſem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editorem alios eſſe ejuſdem nominis ſanctitate conſpicuos; atque ita factum eſt, ut Sancto Euſebio, Cæſarienſis Hiſtorici agnomen accederet.

CAPUT XII.

Agit de lapſu Liberii, & Oſii.

CUm Liberius R. P. Nicænam fidem & Athanaſium ſtrenue tueretur, & Arianorum conciliabula reprobaret; ab Imperatore Conſtantio Berœam Thraciæ pellitur in exilium: at ibi biennio poſt fractus ærumnis, nimioque recuperandæ Sedis deſiderio flagrans, Imperatoris voluntati obſecutus eſt, oblatamque Sirmienſem formulam approbavit, & Athanaſium a ſua communione removit. Facti deinde pœnitens, dum ad Sedem ſuam reverſus eſt, Nicænam fidem publice ac conſtanter aſſeruit, & Athanaſio ſcripſit, ut iterum cum eo communionem iniret, & Concilium Ariminenſe rejecit; quapropter ad mortem uſque dure illum a Conſtantio vexatum fuiſſe, ſcribit Baronius ad Chriſti annum 359. n. 38.

Tres autem Sirmienſes formulæ recenſentur. Prima Græce conſcripta eſt anno 351., in qua Photini de Chriſto hæreſis damnatur, & anathemate feriuntur, qui Filium ex aliena hypoſtaſi, & ex non extantibus factum eſſe dice-

bant ; in ea tamen idem Filius neque consubstantialis, neque similis appellatur.

Altera formula anno 357. Latine primum edita est, quam merito *blasphemiæ* nomine designat Hilarius, cum Arianam hæresim expresse contineat ; nedum enim statuit, nullam omnino fieri oportere mentionem *Usiæ*, & *Homousion*, & *Homœusion*; verum etiam affirmat, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris, majorem Filio, & hunc illi esse subjectum.

Tertia tandem quæ Latine scripta est anno 359., Filium Patri per omnia similem esse decrevit ; *substantiæ* tamen nomen explosit ex eo, quod uti in ea legitur, *simplicius a Patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert eo quod in Scripturis non contineatur*.

Nunc ergo quærimus, cuinam ex tribus hisce formulis Liberius subscripserit ? Subscripsisse enim in dubium revocari non potest, cum id ipse aperte testetur in epistola ad Orientales, & in altera ad Ursacium, Valentem, & Germinium, & in tertia ad Vincentium Capuæ Episcopum. Hoc etiam ipsum aperte colligitur ex Hilario in Fragmentis, ex Hieronymo de Viris illustribus c. 97., ex Athanasio in epist. ad Solitarios, ex Auxilio lib. 1. de Ordin., ex Petro Damiani in epist. 15., & ex aliorum fere omnium Theologorum & Historicorum adsertione.

Valesius in notis ad IV. librum Sozomeni c. 15. censet, probatam a Liberio fuisse tertiam formulam, quam putat editam anno 358., quando Liberius ab exilio revocatus est. Blondellus in libro de Primatu Papæ asserit, Liberium secundæ formulæ subscripsisse. Baronius denique, cui

cui Natalis Alex., Tournely, Juenin, Gotti, Berti, aliique consentiunt, affirmat, quod Liberius primam contra Photinum formulam approbaverit.

Propositio. Liberius non tertiæ, non secundæ, sed primæ Simiensi formulæ subscripsit.

Probatur 1. pars. Liberius Sirmiensi formulæ subscripsit, ut ab exilio revocaretur quo B.-rœæ detinebatur: atqui consentiunt omnes, quod ante exactum annum 358. ab exilio fuerit revocatus: ergo tertiæ Sirmiensi formulæ subscribere ille non potuit. Tertia namque formula, uti in ejus epigraphe legitur, edita est sub Imperatore Constantio, & *sub Consulatu Flavii Eusebii, & Hypatii clarissimorum virorum apud Sirmium, undecimo Calendas Junias*; anni videlicet 359., uti ex emendatissimis Fastis eruitur. At tunc Liberius suæ jam Sedi fuerat restitutus.

Probatur 2. simul & 3. pars. S. Hilarius in Fragmento VI. agens de formula quam Liberius approbavit, hæc ait: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, & Junior*. Qui igitur Liberianam formulam conscripserunt Episcopi, majori ex parte Orientales fuerunt: atqui ex Socrate in lib. 2. c. 30. & Sozomeno in lib. 4. c. 12. Occidentales erant, qui secundam formulam ediderunt: non ergo huic formulæ Liberius subscripsit.

Deinde uti colligitur ex Socrate, & Sozomeno, & Auctore libri de Synodis apud Athanasium, & Hilario in libro de Synodis, Ursacius, Valens, Germinius; Potamius, & Osius secundam Sirmiensem formulam probaverunt: atqui uti ex relatis Hilarii verbis apparet, Germinius, Potamius, & Osius locum non habuerunt inter Episcopos, qui Sirmiensi formulæ cum Liberio subscripserunt.

Ad hæc accedit, quod secunda Sirmiensis formula ex eo quod Filii cum Patre similitudinem damnaret rejecta statim est ab Homœusianis, qui uti scribit Socrates in lib. 2. c. 30., *satagebant, ut eam ab illis, qui descripserant, reciperent. Quoniam vero multi eam occultabant, Imperator eam edictis inquiri jussit, supplicium minatus, si quis eam occultasse deprehenderetur*. Quis modo credat, quod Constantius, & Homœusiani Liberium ad subscribendam fidei echtesim illam coegerint, quam ipsi quoque damnaverant? Profecto si ita Liberius se gessisset, non solum non fuisset ab exilio revocatus, verum & novum sibi odium conciliasset. Si ergo neque tertiæ, neque secundæ formulæ Liberius subscripsit; dicendum sane est, quod primæ subscripserit.

Objicies 1. Hilarius in Fragmento 6. Sirmiensem formulam, quam Liberius probavit, *perfidiam Arianam* appellat: atqui primam Sirmiensem formulam, idem Hilarius in libro de Synodis dicit esse catholicam; ergo Liberius primæ formulæ non subscripsit: sed neque secundæ formulæ subscribere potuit, quia ut superius dictum est, in illorum catalogo qui Liberianam formulam conscripserunt, neque Osius, neque Potamius recensetur; Hilarius autem in li-

libro de Synodis secundam Sirmiensem formulam sic inscribit: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptæ.* Tertiam ergo formulam Liberius approbavit.

Resp., quod Hilarius in libro de Synodis primam Sirmiensem formulam, velut catholicam, prius exposuit; quia illa in se sumptà nihil continebat, quod Arianam hæresim redoleret; & quia studebat Hilarius, ut Orientales Episcopos ad concordiam revocaret. At inspecta postmodum eorum fraude, qui talem ecthesim confecerant; quia nempe Liberium ad suppressionem vocis homousion, & ad Athanasii damnationem impulerant, ejuscemodi formulam sub perfidiæ nomine reprobavit. Athanasii enim causa cum Ecclesiæ Fideique causa arctius juncta tunc erat, & vocabulum homousion quædam veluti orthodoxæ fidei tessera censebatur.

Quod si secundæ Sirmiensi formulæ Liberius non subscripsit ex eo, quod in Catalogo Episcoporum qui Liberianam ecthesim probaverunt, Osii, & Potamii nomina non leguntur; dicendum est pariter, quod neque Liberius tertiæ formulæ subscripserit ex eo, quod Auctor libri de Synodis apud Athanasium attestetur; tertiam formulam a tribus, aut quatuor Episcopis fuisse conscriptam; Liberiana vero formula a duobus & viginti Episcopis jam fuerat obsignata, uti ex laudato Hilarii Fragmento perspicuum est.

Neque quorundam responsio valet, quod Episcoporum illorum nomina addita fuerint ab Auctore, qui Hilarii excerpta confecit. Nam doctissimi Monachi S. Mauri qui accurate vetustos S. Hilarii Codices inspexerunt, prorsus ignorant, quisnam additamenti illius artifex fue-

rit; neque causam reddere valent; cur aliquis inserere nomina illa Hilariano Fragmento potuerit.

Objicies 2. Illi formulæ Liberius subscripsit, quam ei Demophilus obtulit, & cujus subscriptione ab exilio revocandum se fore sperabat: atqui tum Demophilus, tum Constantius Imperator Arianam hæresim rigide sectabantur: ergo Demophilus homœusianam formulam a Liberio subscribendam offerre non potuit.

Resp., quod uti scribunt Socrates in lib. 2. c. 24. & Sozomenus lib. 4. c. 15., Homœusiani maxima apud Imperatorem gratia & auctoritate valebant, eumque permoverunt, ut nedum Demophilum, sed & Ursacium, & Valentem ad rejiciendam secundam Sirmiensem formulam adigeret. Denique ex Theodereto in lib. 2. c. 16. colligitur, quod Imperator a Pontifice non professionem Arianæ hæresis exigebat, sed tantum ut Athanasium condemnaret; quod præstitit Liberius nimium in Arianos credulus, qui in Sanctum Doctorem horrenda quædam crimina confinxerant.

At dices. Narrat Sozomenus in lib. 4. c. 15., quod Imperator Liberium Berœa ad se accersitum *cæpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur*. Ergo formulam expresse Arianam, secundam scilicet, Liberius approbavit.

Resp. id scripsisse Sozomenum, quia in prima Sirmiensi formula, cui Berœæ exul subscripsit Liberius, suppressum erat homousion; & in Antiochena formula anni 345. quam Sirmium reversus Liberius approbavit, idem vocabulum in pravo sensu a Photinianis acceptum damnabatur. Non ergo secundæ ecthesi Pontifex sub-

ſcripſit, neque homouſion catholico in ſenſu rejecit. Hinc citato in loco ſubjungit Hiſtoricus, quod Liberius Sirmium evocatus confeſſionem ediderit, *qua eos, qui Filium ſecundum ſubſtantiam & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſererent, alienos ab Eccleſia pronunciabat*: Additque quod hiſce peractis *Imperator Romam redeundi poteſtatem Liberio conceſſit*:

Objicies 3. Hilarius in Fragmento 6. formulam a Liberio ſubſcriptam nedum *perfidiam Arianam appellat*; verum & addit: *Anathema tibi a me dictum, Liberi, & Sociis tuis: Iterum tibi anathema, & tertio, prævaricator Liberi*. Quod ſi tam acriter in Romanum Pontificem S. Doctor invehitur, dicendum profecto eſt, quod ſecundam ille ecthesim probaverit. Scribit etiam Hieronymus in Chronico, quod *Liberius tœdio victus exilii in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit*. Hoc idem affirmat in Catalogo Script. Eccl. c. 97.

Reſp. ex dictis, quod quia Liberius ectheſi ſubſcripſit quæ homouſion ſupprimebat, & quia ſe ab Athanaſii communione ſejunxit; idcirco Hilarius, Hieronymus, aliique ſcripſerunt, illum in Arianam deſcendiſſe perfidiam; quia nempe viſus eſt, quod faviſſet hæreticis; licet non ſecundam, ſed primam ecthesim approbaſſet. Præterea cum Anomæi palam proferrent, quod Liberius homouſion proſcripſiſſet, Filiumque Patri diſſimilem affirmaſſet, falſus hujuſcemodi rumor facile potuit hominum aures occupare. Putant denique nonnulli, quod aliena manu ex margine, vel ex volante charta in textum verba quæ ex Hilario objiciuntur, irrepſerint: perſuaſum enim habere non poſſunt, quod qui Orientales non recte adhuc ſentientes,

quia tamen ad veritatem propius accedebant, in libro de Synodis laudaverit; in Romanum postea Pontificem impotenter insurgeret in Fragmentorum libro qui omnium judicio ab Hilario tunc scriptus est, quando Liberius suæ Sedi restitutus Nicænam fidem intrepide tuebatur.

Restat, ut de Osio breviter disseramus. Osius Cordubensis Episcopus Silvestri nomine Nicænæ Synodo præfuit, & catholicam fidem ad decrepitam usque ætatem summo studio propugnavit; quam ob rem ex Arianorum insidiis mala plurima perpessus est. At postmodum senex centenarius ab Imperatore Constantio invitus Sirmium vocatur, ibique tormentorum vi secundæ Sirmiensi formulæ consentire ac subscribere est coactus. Licet autem cum Valente, & Ursacio societatem habuerit, adversus tamen Athanasium non subscripsit. Constant hæc ex eodem Athanasio in epist. ad Solitarios, ex Hilario in libro de Synodis, ex Phæbadio in lib. contra Arianos, ex Epiphanio hær.73., ex Sulpitio Severo in lib. 2. Hist. Sacræ, ex Socrate in lib. 2. c. 31., ex Theodoreto in lib. 4. H. E. c. 6., aliisque quampluribus, quorum auctoritate permoti de Osii lapsu dubitare non possumus.


Errorem vero suum Osius emendavit; *moriturus enim*, scribit Athanasius in epist. ad Solitarios, *quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresim condemnavit, vetuitque, eam a quoquam probari aut recipi.*

Neque obstat, quod Faustinus & Marcellinus in libello ad Imperatorem Valentinianum affirment, Osium divinitus a Sede sua dejectum,

eli-

elisumque fuisse, dum deponere tentaret Gregorium Illiberitanum Episcopum, qui cum Osio, tanquam cum perditissimo hæretico, communicare nolebat.

Luciferiani enim lapsos in persecutione Constantii recipere noluerunt, & ideo sese ab Ecclesia separarunt, & in libello ad Imperatorem adversus sanctos Episcopos tragicas fabulas excogitarunt, quin ipsis Athanasio, Hilarioque pepercerint. Ex cœnoso hujusce libelli fonte biberunt, quicunque infelicem Osii obitum narrarunt; uti inter alios est Isidorus, sive quisquis sit Auctor libri de Viris illustribus c. 14.



CA-

CAPUT XIII.

An Spiritus S. vera sit ac subsistens Persona, Patri, & Filio consubstantialis.

HActenus de Verbi ac Christi divinitate satis longo sermone tractavimus; de alia nunc Trinitatis Persona, de Sancto nempe Spiritu, superest, ut agamus: ostendemus igitur tum quod ille propria sibi personalitate subsistat, tum quod communem habeat cum Patre Filioque substantiam. Atque ita Sabelliana oppugnabitur hæresis, quæ Spiritus Sancti Personam asseruit a Patris Persona non esse distinctam: Anomæi etiam, & Macedoniani damnabuntur erroris, qui Spiritum Sanctum non Deum, sed creaturam esse dixerunt: ac denique Sociniani omnium pessimi refellentur, qui Spiritum Sanctum non veram Personam, non ipsum summum Deum esse defendunt, sed efficaciam tantummodo ac virtutem, quo Deus fideles suos exornat, & multiplici gratiarum dono sanctificat.

Propositio. Spiritus Sanctus vera est ac subsistens Persona, quæ eandem habet cum Patre, Filioque substantiam.

Probatur speciatim prima pars assertionis.

Et præter ea quæ in secundo hujusce libri capite adducta sunt, ubi veram Spiritus Sancti subsistentiam, ex eo monstravimus, quod ille sub columbæ specie e cœlo descenderit; quod in

in ejus nomine, ſicut & in nomine Patris, & Filii baptiſma recipiamus; & quod tres in cœlo ſint teſtes, Pater ſcilicet, & Verbum, & Spiritus Sanctus: huc accedit, quod Jo. c. 14. vv. 16. & 17. Chriſtus ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis*. Modo Paracliti munus, ſive Conſolatoris officium non efficaciæ competit, aut qualicunque virtuti, ſed veræ propriæque Perſonæ: ſicut ergo Chriſtus, qui etiam Paraclitus nominatur, eſt vera Perſona ſubſiſtens; ita & Spiritus Sanctus, quem *alium Paraclitum* Chriſtus appellat, vera erit Perſona a Chriſto diſtincta, & diſtincta etiam a Patre; ab utroque enim datur, mittitur, ac procedit.

Hinc præclare Chryſoſtomus hom. 75. in Jo. hæc habet: Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: *id eſt, alium qualis ego ſum. Erubeſcant qui Sabellii morbo laborant, & qui de Spiritu non recte ſentiunt. Nam in hoc ſermone mirum illud eſt, quod hæreſes ex diametro oppoſitas uno ictu, proſternat. Nam cum dicit*, alium, *hypoſtaſis illius differentiam indicat, cum vero dicit*, Paracletum, *ſubſtantiam eandem*.

Inſuper huc accedit, quod Chriſtus Phariſæis de ipſo dicentibus: *Hic non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum:* Matth. 12. v. 24., hæc inter alia reponit v. 32. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Quo in teſtimonio plura notatu digniſſima nobis occurrunt. Et primo quidem ipſum blaſphemiæ nomen evidenter oſtendit,

dit,

dit, Spiritum Sanctum veram esse Personam; esse vero Personam Divinam ostendit criminis magnitudo. Deinde opponitur Spiritus Sanctus spiritui malo, sive Beelzebub, ut Persona divina, personæ creatæ & malæ. Denique Christus seipsum cum Spiritu Sancto comparat; & licet, quatenus Deus est, Spiritum Sanctum mittat, & Spiritus ab ipso in substantiæ unitate procedat; attamen, ut homo est, majorem se esse Spiritum agnoscit, & peccatis in Filium hominis commissis longe graviora ea esse docet, quæ in Spiritum Sanctum ab hominibus committuntur.

Præterea scribit Apostolus in epist. 1. ad Cor. c. 2. v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Hic profecto Spiritus Sanctus ut Persona consubstantialis, a Deo Patre distinguitur. Non enim recte de Patre quis diceret: *Omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; cum omnino repugnet, ut una eademque Persona dicatur omnia scrutari, etiam quæ sunt in se abdita & secreta consilia. Multo quoque minus fingi potest, quod res inanima, vel creata, omnia, etiam Dei profunda, scrutetur. Ergo Spiritus Sanctus Persona est a Deo Patre distincta, eidemque consubstantialis: siquidem omnia scrutari, etiam profunda Dei, non posset, nisi totam Dei scientiam, ac proinde totam substantiam per processionem haberet: quod & ex v. 12. ejusdem capitis aperte colligitur, ubi affirmat Paulus, non Spiritum hujus mundi nos accepisse, *sed Spiritum, qui ex Deo est; ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis*.

Hoc tandem ipsum alia Scripturarum oracula comprobant, quæ tales Spiritui Sancto ope-

ra-

rationes attribuunt, quales non possunt nisi veræ propriæque Personæ competere. Hinc Jo. c. 16. legitur, quod ille ex Patre procedat & Filio, a quo accipere dicitur & mitti; quod ad nos veniat, mundum arguat, audiat, loquatur, annunciet, Christum clarificet, omnem doceat veritatem &c. Alibi etiam legitur, quod Spiritus Sanctus ad prædicandum mittat Apostolos, & ad regendam Christi Ecclesiam Episcopos constituat, & ineffabilia nobis diversarum gratiarum dona distribuat. &c. Vide Act. c. 13. & c. 20. 1. Cor. c. 12. 1. ad Tim. c. 4.

Probatur clarius secunda pars.

Licet ex hactenus dictis nedum appareat, quod Spiritus S. sit vera Persona, sed etiam quod Patri & Filio sit consubstantialis; ut tamen ejus Divinitas evidentius elucescat, alia hic momenta subnectimus, Et primo quidem Scriptura Spiritum Sanctum per ineffabile nomen tetragrammaton *Jehova* Deum appellat. Isaiæ enim c. 6. verba illa Domini, qui vv. 1. & 8. *Adonai* dicitur, & vv. 3. & 5. dicitur *Jehova* Sabaoth: *Audite audientes, & nolite intelligere &c.* quæ vv. 9. & 10. leguntur; illa inquam verba a Spiritu Sancto prolata fuisse docet Apostolus Act. c. 28. vv. 25. 26. & 27., ubi ait: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam..... Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis &c.* Est igitur Spiritus S. *Adonai*, & *Jehova* Sabaoth; id est, verus, & summus Deus.

Deinde Act. c. 1. v. 16. Petrus ait, quod *Spiritus Sanctus per os David* Judæ lapsum prædixerit: & in 2. epist. c. 1. v. 21. idem Petrus affirmat, quod *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt,*

ſunt, ſancti Dei homines. Atqui futurorum prædictio Divinitatis eſt nota; ideoque paſſim legitur in Prophetis: *Hæc dicit Dominus Deus*.

Adde quod Act. c. 5. v. 3. cum Ananias de agri pretio fraudaſſet, dixit ei Petrus: *Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et v. 4. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Deus igitur eſt Spiritus Sanctus, ſi Ananias dum Spiritui Sancto mentitus eſt, mentitus eſt Deo.

Ulterius in 1. ad Cor. c. 12. Paulus Spiritus Sancti dona recenſet, aitque v. 4. *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus*. Et v. 6. ſubjungit: *Diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Concludit denique v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Eſt igitur Spiritus Sanctus verus Deus, qui ſupernaturalia nobis gratiæ ſuæ dona communicat.

Tandem omiſſis aliis, quæ huc adduci poſſent, Scripturarum oraculis, Spiritus Sancti divinitas luculenter oſtenditur ex eo, quod illi creandi potentia tribuatur Pſalmo 32., & miraculorum effectio Matth. 12., & immenſitas Sap. 1., & virtus mortuos ſuſcitandi Rom. 8., & virtus ſanctificandi homines, in quibus, tanquam in Templo quod vero tantum Deo ſacratur, per gratiam ſuam inhabitat: lege 1. ad Cor. c. 3. v. 16. & c. 6. v. 19. Ex attributis igitur, & operationibus quæ Spiritui Sancto competunt, luce clarius demonſtratur, quod ille eandem habeat cum Patre, & Filio divinitatis Eſſentiam. Nihil hic ex Patrum traditione ſubjungimus, cum quæ in IV., & IX. capite ſuperius adducta ſunt, huc etiam referantur.

Reſ-

Respondetur objectis.

Objicies 1. contra 1. partem. Probant Catholici, Spiritum Sanctum veram esse Personam ex eo quod loquatur, arguat, doceat, mittatur, procedat &c. Atqui ejuscemodi operationes Scriptura non de Personis tantum, sed de aliis etiam rebus affirmat. Ergo operationes illæ non probant, quod Spiritus Sanctus in propria personalitate subsistat. Et sane Rom. 3. v. 19. dicitur quod lex loquatur; & Hebr. 12. v. 24. de sanguine hoc ipsum asseritur. Legitur etiam Jer. 2. v. 19., quod arguat malitia; & Jobi 19. v. 5. quod doceat iniquitas; sicut & idem de natura in 1. ad Cor. 11. 14., & de unctione cœlesti in 1. Jo. 2. 27. scriptum est. Mitti etiam dicitur auxilium in Psalmo 19. v. 3., & alibi modo iram, modo misericordiam, ac redemptionem Deum misisse describitur. Sed & Marci 7. 15., & Matth. 15. 18. procedere de verbis ac cogitationibus enunciatur. Denique ne longi nimium simus, in Psalmo 22. v. 4. legitur: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt:* ex quo & illud addiscimus, posse Spiritum Sanctum Paracleti ac Consolatoris munus obire, etsi vera Persona non esse dicatur.

Resp., nunquam inficias ivisse Catholicos, quod quandoque per prosopopœjæ figuram de rebus quæ personæ non sunt, enuncientur operationes aliquæ, quæ proprie non possunt nisi veris convenire Personis. Id ergo unum affirmant, quod etsi Scriptura alicubi figurate loquatur, non ideo dicendum sit, illam figurate etiam loqui, dum de Spiritus Sancti Persona disseritur: sunt enim certi ac perspicui characteres, quibus Persona ejus non obscure dignoscitur,

tur, secus ac de rebus aliis affirmamus, quæ in argumento citantur. Et certe Spiritus Sanctus in Scriptura constanter & ubique tanquam vera Persona describitur; quæ vero in exemplum adducta sunt, tanquam accidentia, vel res inanimæ sæpissime designantur: cum igitur figurata locutio perpetua esse non possit, evidenter apparet, quod licet aliæ res Personæ non sint, Sanctus tamen Spiritus sua personalitate non careat. Sed neque lex, sanguis, malitia &c. dicuntur loqui quæ audiunt; uti de Spiritu Sancto legitur Jo. c. 16. Neque de re qualibet non subsistente, & creata affirmatur, quod doceat, arguat, consoletur &c, tanquam alius Paracletus, qualis est Christus. Denique dum de Spiritu Sancto dicitur, quod veniat, mittatur, procedat; semper apponitur vel pronomen sive demonstrativum, sive relativum; vel aliquid aliud adjungitur, quod intelligentem ac divinam in eo naturam ostendit, & singularem Personam ejus non tropica, sed propria locutione commonstrat.

Instabis Apostolus in 1. ad Cor. c. 13. vv. 4. 5. 6, & 7. charitati plura munera tribuit, quæ sunt propria Personarum; & tamen nemo dixerit, charitatem esse Personam. Sicut ergo dum dicitur, quod charitas sit patiens & benigna, quod non æmuletur, non agat perperam &c., Catholici in abstracta charitatis forma ipsum *concretum*, hominem nempe charitate exornatum, intelligunt; cum *actiones sint suppositorum*: ita pariter Sociniani dum Spiritui Sancto Personarum opera tribuuntur, recte poterunt id per figuram exponere non de propria Spiritus Sancti Persona, sed de persona creata cui cœlestis illa virtus inhæret.

Resp.,

Resp., quod ex ipso contextu evidenter appareat, Apostolum figurate tantum charitati ea munera tribuisse, dum fidei ac spei conferens charitatem, hanc scripsit v. 13. illis esse majorem: *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*. Proindeque sicuti fides, & spes theologicæ sunt virtutes quæ nobis inhærent, ita & de charitate similiter dicendum est. At alibi Scriptura manifeste demonstrat, quod Spiritus Sanctus ab accidentaria creatæ charitatis affectione penitus distinguatur, tanquam supernaturalis hujusce doni largitor & auctor: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* Rom. 5. v. 5. *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus:* 1. ad Cor. c. 12. v. 4. *Fructus autem Spiritus est, charitas:* Galatarum 5. v. 22. Præter igitur spiritualem charitatis affectionem quæ Justorum mentes informat, quæque per metaphoram patiens dicitur & benigna &c., existit Spiritus Sanctus, qui Deus est & divina Persona, cœlestium munerum effector & dator, Sicut etiam docuit Joannes Apostolus in epist. 1. c. 5. v. 7. scribens: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt*. Quod profecto testimonium si quis de Persona creata quam charitatis virtus exornat, exponere vellet, nihil ille affirmare posset absurdius.

Objicies 2. Legitur Matth. c. 3. v. 11. *Ego quidem baptizo vos aqua, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*. At Persona non potest esse id, quo aliquis baptizatur; alias esset Persona aqua, esset Persona & ignis: ergo Spiritus Sanctus Persona esse non potest.

Neque obstat quod c. 28. ponatur Spiritus Sanctus cum Patre & Filio, qui sunt veræ Personæ; nam cum Personis res quæ propria carent personalitate, non raro junguntur, uti ad Ephesios c. 6. v. 10. scribit Apostolus: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*.

Resp. quod Baptista verbis in argumento relatis per metaphoram declarare voluit gratiæ copiam, quam Christi baptisma nobis impertit: unde notat Chrysostomus hom. in Matt., quod *non dixit: Dabit vobis Spiritum Sanctum; sed*, baptizabit vos in Spiritu Sancto; *& ignis additione vehementiam & efficaciam gratiæ demonstrans*. At ex quo metonymice gratia & peccatorum remissio Spiritus Sancti nomine designetur, sequi non potest, quod Spiritus Sanctus non sit Persona; sed potius inde probatur oppositum; effectus enim existentiam suæ causæ non denegat, sed demonstrat. Ergo licet Personæ non sint, gratia qua interius baptizamur, & aqua qua tingimur exterius, & ignis quo cœlestis gratiæ virtus symbolicè denotatur; Persona tamen est Spiritus Sanctus, qui regenerationem efficit, peccata remittit, & charitatem in cordibus nostris abunde diffundit.

Ad id quod additur, respondemus, quod utique res dissimillimæ inter se aliquando junguntur: dum tamen manifesta est causa, cur ita jungantur: nec in eo per quod maxime discrepant, conjungi possunt, sed in iis tantum quæ dissimillimis rebus generatim convenire videntur. Ita diligere debemus Deum, & proximum; at non dicimus, quod Deus & proximus a nobis super omnia diligatur. Ita quoque nemo dicet, se baptizari *in nomine* Dei, & gra-

gratiæ; dum enim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamur, illorum Personas invocamus, eisdemque nos mancipia devovemus. Lege hujusce libri c. 2. Dicimus autem, quod Deo confidamus, & gratiæ ipsius; quod confortemur in Domino, & in potentia virtutis ejus; quia nonnulla sunt, quæ generatim de Persona ejusque proprietatibus, de Deo ejusque attributis, de causa & effectu, sine contradictione affirmare solemus.

Objicies 3. Apostolus in 1. ad Cor. c. 2. v. 11. inter Dei Spiritum, & spiritum hominis comparationem instituit, aitque: *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Atqui spiritus hominis non est Persona ab homine distincta; alioquin dici posset, hominem, & rationalem ejus animam duas esse Personas. Ergo idem de Dei Spiritu dicendum est.

Resp., quod propterea tantum Apostolus cum spiritu hominis Spiritum Dei comparare voluerit, quia sicuti occulta hominis, mens dumtaxat ejus intelligit; ita & Dei Spiritus omnia, etiam ipsius Dei profunda, scrutatur. Ex argumento itaque id potius evincitur, quod sicuti spiritualis anima ad ipsam hominis spectat essentiam; anima enim rationalis, & caro unus est homo; ita & Dei Spiritus cui omniscientia competit, non habet diversam a Deo substantiam. Insuper cum ibidem Apostolus v. 12. de Spiritu illud adjungat: *Qui ex Deo est*; manifeste inde colligitur, quod sit Deus de Deo; quod scilicet Persona sit a Patris Persona procedens, & ab illo distincta, adeoque distincta etiam a Filio, cum ab utroque per eundem

voluntatis actum, divinitatis naturam accipiat.

Quod autem rationalis anima Persona non sit, hoc inde descendit, quia incommunicabilem existentiam illa non habet; cum ad humanum corpus, velut ad sui subjectum, semper inclinet. At Spiritus Sanctus relatione constituitur, quæ tum Patri, tum Filio communicari non potest; adeoque ab utroque realiter est distinctus, licet ab essentia realiter non distinguatur, cum illam non respiciat relative.

Objicies 4. contra 2. partem. Ex eo quod legitur Act. c. 5., ostendi non potest, quod Spiritus Sanctus sit Deus: in Græco namque textu versus tertius sic exprimitur: ψεύσασθαι σὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; id est, *mentiri te Spiritum Sanctum*. Dicitur autem quod Ananias se Spiritum Sanctum fuerit mentitus, quia simulate se gessit, fraudavitque de pretio agri divenditi; partem enim dumtaxat ejus ad Apostolorum pedes adduxit.

Deinde dici potest, Ananiam Spiritui Sancto fuisse mentitum, quia est mentitus Apostolis, apud quos Deus mansionem per gratiam faciebat. Et licet Ananias dicatur Spiritui Sancto mentitus, & Deo; non tamen inde recte deducitur, quod Spiritus Sanctus sit Deus. Nam Exodi c. 16. v. 2. legitur, quod *murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, & Aaron:* & v. 8. subjungit Moyses: *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*. Ex hoc autem non rite quis inferret, Moysen, & Aaron esse ipsum Deum; sed sensus iste est, quod Israelitæ murmurando, Deum potius, quam Moysen, & Aaronem offenderint. Ita pariter exponi poterunt verba quæ ex Act. c. 5. citantur; quod nimirum Ananias

Deo

Deo potius, quam Apostolis, Dei gratia præditis, sit mentitus, dum de agri pretio fraudavit.

Resp., quod idem omnino sit mentiri *to pneuma to agion*, *Spiritum Sanctum*; ac mentiri *is to puema to agion*, *in Spiritum Sanctum*, sicuti habent quædam exemplaria græca, ipsomet Wolzogenio teste, qui etiam fatetur, quod sicut alia quædam verba aliquando cum dativo, aliquando cum accusativo casu construuntur, ut evangelizo tibi, & evangelizo te, benedico tibi, & benedico te; ita quoque græce non tantum dicitur, mentior tibi, sed & mentior te. Et sane idem mentiendi verbum, quod in v. 3. citati capitis cum accusativo ponitur, in v. 5. cum dativo construitur: οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ergo sensus erit, quod Ananias contra Spiritum Sanctum, vel Spiritui Sancto mentitus est, quia simulate se gerendo, & partem pretii fraudando, quantum ex se fuit, Spiritum Sanctum fallere præsumpsit. Ex quo sane non sequitur, quod Spiritus Sanctus vel Deus non sit, vel non sit Persona; sed potius demonstratur oppositum, præsertim si velimus advertere, quod in græco textu bis articulus repetatur *τὸ* pneuma *τὸ* agion: ut nempe singularis, & divina ejusdem Persona monstretur. Tum qui pietatem simulat, dici quidem potest, quod se Sanctum, non vero quod se Spiritum Sanctum suo crimine mentiatur.

Licet autem Dei gratia pleni essent Apostoli, & licet etiam Ananias idcirco dicatur Spiritui Sancto mentitus, quia mentitus est Apostolis, in quibus Spiritus Sancti gratia habitabat; non tamen dicendum est, quod Spiritus

Sanctus non sit Deus. Dum enim v. 3. dicitur: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto;* jam indubium est, Ananiam Spiritui Sancto esse mentitum. Dum vero v. 4. subjungitur: *Non es mentitus hominibus;* cum Spiritus Sanctus non sit homo, non sit Petrus Apostolus qui loquebatur; evidenter apparet, quod non in hisce verbis Spiritus Sanctus includitur: includetur igitur in sequentibus, ubi legitur: *sed Deo*. Ergo Spiritus Sanctus est Deus, cui principaliter mentitus dicitur Ananias. Et sane qui Spiritum Sanctum hoc loco Deum vocari negant, sacrum contextum prorsus invertunt; quasi scriptum esset: Non es mentitus Spiritui Sancto, sed Deo.

Ex Exodi autem c. 16. non sequitur, Moysen & Aaron esse Deum: nam dum dicit Moyses v. 8. *Non contra nos est murmur vestrum;* ostendit profecto, quod tum ipse, tum Aaron, de quibus v. 2. legitur: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron;* non sint Dominus, in quem principaliter Israelitæ murmurando peccaverant. Ergo illud *Moyses & Aaron* in v. 2., idem est cum eo, quod v. 8. legitur, *Nos*. In Actibus vero Apostolorum illud v. 3. *Spiritui Sancto* non est idem cum eo, quod v. 4. habetur, *Hominibus*. Adeoque Moyses, & Aaron excluduntur ab eo, quod ibi sequitur, *sed contra Dominum;* & non sunt Dominus: Spiritus autem Sanctus includitur in eo quod subditur, *sed Deo;* & est verus Deus, sive divina Persona.

Patet igitur, quod Scriptura Spiritum Sanctum conceptis verbis Deum appellat, eidemque opera, & proprietates summæ divinitatis attribuat: quod autem aliquando Patrem, & Fi-

Filium nominet, quin Spiritum Sanctum expresse commemoret; nihil inde potest adversus assertam hujusce divinitatem evinci. Sufficit itaque quod tres simul omnes alibi nominentur, uti Matth. 28., in 1. Joannis c. 5. &c. Sufficit insuper, quod in tribus una sit, eademque substantia; propter quod dum una Persona vel altera nominatur, omnes nominari censentur, & singulæ. Lege S. Ambrosium in lib. 1. de Spiritu Sancto c. 3.

Objicies 5. Joann. c. 16. v. 13. Christus de Spiritu Sancto ait: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis*. At Deus sicut a seipso est, ita etiam a seipso loquitur, neque ab alio audit quæ revelat.

Resp., quod ex objecto textu Spiritus Sancti divinitas, & personalitas apertius ostendatur. Ut enim recte scribit Basilius in lib. 5. contra Eunomium, Spiritus *non modo sua, modo quæ Dei sunt, loquitur; id namque pertinet ad creaturam. Verum omnia Spiritus verba, Dei oracula sunt; similiter & Filii dicta. Quapropter ne Filius quidem a seipso loquitur:* Qui enim misit me Pater, *inquit*, ille mihi dixit, quid dicam, & quid loquar: *non quod disceret; hoc enim imperfecti erat, & nescientis; sed quod quæcunque Pater loquitur, per Filium in Spiritu loquitur*.

Sed & S. Augustinus tract. 99. in Joan. laudata verba expendens ait: *Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse . . . Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo procedit; a quo illi est essentia, ab illo scientia; ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud, quam scientia*.

Ergo quia tres Personæ licet ejusdem sint essentiæ, Filius tamen a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit; idcirco dicitur, quod Filius a Patre habeat essentiam, scientiam, & sermonem; ac propter eandem etiam rationem in citato textu asseritur, quod Spiritus Sanctus a Patre, & Filio perfectionem omnem accipiat.

Ideo autem verba futuri temporis, *audiet*, *loquetur*, *annunciabit*, Christus adhibuit, non quia Spiritus Sanctus essentiam in tempore procedendo recipiat; sed quia effectus exterior, quem Spiritus Sanctus in Apostolis operaturus erat, erat revera futurus; & quia de re sempiterna, quæ principio caret & fine, potest cujuslibet temporis verbum sine mendacio enunciari. Lege S. Augustinum in loco superius laudato.

Objicies 6. Rom. c. 8. v. 26. legitur, quod *ipse Spiritus postulat pro nobis*. Postulare autem indigentiæ signum est, & Deo non convenit. Quid etiam simile habetur ad Ephesios 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*. In Deo enim tristitia locum habere non potest. Denique in 1. ad Cor. 2. v. 10. scriptum est; quod *Spiritus omnia scrutatur*. At ille tantum scrutatur, qui rem clare perfecteque non novit.

Resp., quod primo in loco Spiritus postulare dicitur, quia per gratiam suam postulare nos facit: nisi enim ibi figurata locutio esset, cum legatur: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; esset profecto consequens, quod Spiritus Sanctus homo foret, nam soli homines gemitibus inenarrabilibus postulare aliquid possunt.

Ad alteram. Per metaphoram tantum contri-

tris

tristari a nobis dicitur Spiritus Sanctus, quatenus hominum peccatis offenditur; sicut & alibi Deus dicitur concitatus ad iram, & tactus dolore cordis intrinsecus.

Ad tertium. Scrutari non semper ignorantis indaginem, & inquisitionem significat; sed quandoque adæquatam denotat & comprehensivam cognitionem; quo in sensu Scriptura Psalmo 7. v. 10. inquit: *Scrutans corda & renes Deus.* Omnia igitur Spiritus Sanctus scrutatur, quia omnia comprehendit, *etiam profunda Dei.* Nam *quæ Dei sunt*, ut ibi v. 11. legitur, *nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Objicies 7. Actorum c. 2. v. 38., & alibi Spiritus Sanctus Dei donum appellatur: non igitur ille est divina Persona; nam dare ad dominium spectat & Majestatem; dari vero ad servilem prorsus & infimam pertinet conditionem. Huc accedit quod Spiritus Sanctus in homines dicatur effusus ad Titum 3. v. 6., & Act. 2. v. 18. Dicitur etiam quod possit a nobis extingui in 1. ad Thessal. c. 5. v. 19.

Resp. ad 1., quod Spiritus est Deus, & divina Persona, quatenus in unitate essentiæ cum Patre Filioque subsistit. Donum vero dicitur, nedum quia a Patre & Filio datur hominibus; sed etiam quia ex sua processione sortitur, quod producatur, ut amor, cujus proprium est dari: unde nihil vetat, quod donum personale vocetur. Quamvis Act. c. 2. v. 38. ea Petri verba: *Accipietis donum Spiritus Sancti:* exponi recte possint de gratia, quæ a Spiritu Sancto confertur. Sicut eodem pariter in sensu potest intelligi, quod ad Titum 3. 6. inquit Apostolus: nam & in Actibus c. 10. v. 45. legitur: *Quia & in Nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.*

Ita

Ita pariter extingui dicitur Spiritus Sanctus, quia ficuti injecta aqua extinguitur ignis; ita & Spiritus Sancti gratia, quæ veluti lucerna lucet & ardet in caliginoso hujusce fæculi loco, peccato tenebras & frigus offundente, restinguitur. Quæ sane similitudo ex eo depromitur, quod Act. c. 2. dum Spiritus Sanctus in die Pentecostes descendit super Apostolos, apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.

Objicies 8. S. Basilius Magnus in hom. 17. negat Spiritum Sanctum Deum esse, dum ait: *Neque ipse Deus est, sed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & a Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur.* Et in Festo S. Eupsychii de Patris, & Filii divinitate fuse differuit, de Sancto autem Spiritu nihil fere locutus est.

Resp., Basilium non uno in loco Spiritus Sancti divinitatem apertissime demonstrasse; uti constat ex libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium, ex epistola 60., ex hom. 27., & præsertim ex hom. 141., ubi ait: *Confitendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum: quemadmodum divinæ Scripturæ; & qui sublimiora contemplati sunt, docuerunt.* Neque obstat textus primo loco productus, cum ibi S. Doctor Dei nomen notionaliter usurpaverit; sicut & Paulus, ut adnotat Chrysostomus hom. 5. de incomprehensibili, eodem in sensu laudatum nomen ad denotandum Patrem adhibuit. Hanc fuisse Basilii mentem ex contextu non obscure colligitur; inquit enim: *Neque igitur alienus est a gloria Dei Spiritus ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus: neque ipse Deus est &c.* Si itaque a Dei gloria non alienus est Spiritus; est ergo verus Deus;

Deus; licet quia ex Patris ore profertur, id est, ab illo procedit; dici non possit Deus, quatenus speciali quodam titulo Pater ita dicitur, quia divinitatis fons est, & origo; uti in libro qui sequitur, clarius ostendemus.

De oratione vero, quam habuit Basilius in Festo S. Eupsychii, scribit Nazianzenus in epist. 26., quod ille ex prudenti œconomia Dei nomen aliquando Spiritui Sancto non tribuit; ne scilicet a Pneumatomachis, qui apertam vocem illam ex Basilii ore arripere cupiebant, ab Ecclesia pelleretur; sicque furentibus hæreticis Christi oves raperentur, sanctissimi ac doctissimi Pastoris auxilio destitutæ.



DE

DE
THEOLOGICIS INSTITUTIS
LIBER VIII.

In quo de Divinis Proceſſionibus, Relationibus, & Perſonis enucleatius diſputatur.



Uod in Deo Perſonarum Trinitas ſit admittenda, præcedens liber licet breviter, aperte tamen ac liquido demonſtravit. Ut autem modus ille clarius elucefcat, quo divinæ Perſonæ inter ſe realiter diſtinguuntur; hic de origine, ſive proceſſione unius ab alia, & de relationibus quibus illæ conſtituuntur, conſueta brevitate tractabimus; ipſarumque Perſonarum nomina, & proprietates, quæ ad eaſdem quoquo modo pertinent, pro viribus exponemus.

CA-

CAPUT I.

An in Deo admittenda sit processio, & quotuplex illa sit?

PRocessio juxta vim nominis aliud non significat, quam originem rei unius ab alia: ita dicimus, quod fluvius a fonte, radius a Sole, effectus denique omnis a suæ causæ virtute procedat. Quia vero diversus est agendi modus, idcirco in Scholis processio alia immanens, alia transiens appellatur: illa est, cujus terminus in sua causa, vel principio manet; ita Verbum ab intellectu producitur, quin extra illum egrediatur: hæc autem terminum respicit, qui extra causam, vel principium seorsim existit; sicut in creatis accidit, dum Pater extra seipsum Filium producit.

Ergo cum Filius a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre & Filio producatur; patet jam, quod in divinis admittendæ sint processiones; & quidem immanentes, ac penitus perfectissimæ, cum tres Personæ unam habeant eandemque substantiam, quam sine divisione, & sine defectu contingentiæ ac mutabilitatis Filius & Spiritus Sanctus accipiunt; adeoque licet hæ duæ Personæ ab alio sint velut a principio, non tamen velut a causa, a qua dependeant.

Hanc veritatem Scriptura nos docet, quotiescunque Filium a Patre genitum fuisse declarat. *Ex utero ante luciferum genui te*: Psalmo 109. v. 3. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*,

tris, *ipse enarravit:* Jo, c. 1. v. 18. *Ego ex Patre processi:* ait Christus Joan. 8. 42. Et de Spiritu Sancto similiter scriptum est Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit &c.*

Quod si processiones in Deo non essent, omnis Personarum distinctio, ac ipsum subinde Trinitatis mysterium tolleretur. Ut enim recte ait Nazianzenus Oratione 37. *Ex his verbis, quod genitus non sit, & quod genitus, & quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur.* Hoc fidei dogma Patres alii ex communi sententia tradiderunt.

Ex dictis sequitur, quod si duæ sunt Personæ procedentes, duæ etiam sint processiones. Et Pater quidem cum fons sit, origo, ac principium totius Divinitatis, a nullo producitur; Filius autem per generationem a Patre habet essentiam, & Spiritus Sanctus ab utroque suam derivat originem, quæ per commune processionis vocabulum designatur; quamvis Scholæ Theologi processionem Spiritus Sancti *Spirationem passivam* appellare consueverint.

Hoc ipsum Angelicus Doctor in p. 1. q. 27. a. 3. ex eo demonstrat, quod duo tantum in Deo sint actus, sive principia quæ producunt, intellectus scilicet, & voluntas: ergo neque plures, neque pauciores, quam duæ, possunt processiones admitti. *In divinis*, ait ille, *non est processio nisi secundum actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente. Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus, & actio voluntatis. Processio autem Verbi attenditur secundum*

dum actionem intelligibilem: secundum autem operationem voluntatis invenitur in nobis quædam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum est in amante; sicut per conceptionem verbi res dicta vel intellecta est in intelligente. Unde & præter processionem Verbi ponitur alia processio in divinis, quæ est processio amoris.

At ad augendum numerum processionum argutari quis ita posset: I. Major est divina fæcunditas, quam humana: atqui in nobis non unius tantum, sed multiplicis verbi, & amoris processio reperitur: ergo & in Deo.

II. Homo nedum per intellectum producit verbum, & per voluntatem producit amorem; sed & per naturam filium generat sibi similem: ergo idem de infinita divinæ naturæ fæcunditate dicendum est.

III. Subsistentia Patris, & attributa omnia profluunt ab Essentia: ergo plures quam duæ, sunt processiones.

Resp. ad I., non ex fæcunditate, sed ex limitatione descendere, quod creata mens plures actus cognitionis, & amoris efficiat: nam quia unico actu omnia nosse, & velle non possumus; idcirco plures finitos actus mens nostra producit. At Deus unico intellectus sui actu omnia perfectissime comprehendit, & unico Verbo quod complete intelligentiam suam adæquat, omnia dicit: ita pariter unico voluntatis actu objectum omne quod amat, amplectitur; & unica spiratione voluntatis suæ fæcunditatem exhaurit.

Ad 2. dicimus, quod ideo homo per naturam, & non per intellectum, neque per voluntatem, substantialem terminum producit; quia

quia ejus natura non tantum spiritu, sed & corpore constat: unde ipse, sicut & materiales aliæ creaturæ, nisi per partium scissionem, ac transmutationem, filios procreare non potest. Divina vero natura actus est purissimus, & omnino spiritualis; adeoque licet illa concurrat, ut objectum *primarium*, & ut principium *remotum* ad processionem tum Verbi, tum Spiritus Sancti; non tamen proximum, & peculiarem procedendi modum in Deo constituit.

Ad 3. Paternitas quidem, & activa spiratio, & absoluta quælibet prædicata ab Essentia profluunt; non tamen uti a productivo principio, sed tanquam a metaphysica, ut inquiunt, radice: & ideo relative Essentiam non respiciunt, neque ab illa realiter distinguuntur. Hinc origo attributorum ab Essentia non processio, sed simplex emanatio a Scholasticis appellatur.

Ad minuendum autem divinarum processionum numerum opponi potest I. Infinitum nequit in plura distribui: divina processio infinita est: ergo est una.

II. Prima processio quæ Filii dicitur, totam naturæ haurit fæcunditatem: ergo aliam consequentem, quæ Spiritus Sancti dicitur, habere non potest.

III. Intellectus, & voluntas in Deo vel nullo modo, vel tantum formaliter distinguuntur: ergo nequeunt esse principia duarum Personarum, quæ ab invicem realiter distinctæ sunt.

Resp., certum non esse, quod processiones *passive* inspectæ, sive quod processionum termini, Filiatio scilicet, & passiva spiratio, sint formaliter infinitæ: nobis enim vero magis simile videtur, quod relationes originis in suo objectivo conceptu neque perfectionem, neque im-

imperfectionem includant. At licet illæ infinite perfectæ dicantur, quia tamen ad diversum ordinem referuntur, altera scilicet ad intellectum, altera ad voluntatem, idcirco præter generationem Filii admittenda etiam est Spiritus Sancti processio.

Activæ vero processiones, sive actiones, quibus Filius & Spiritus Sanctus producuntur, sunt quidem formaliter infinitæ, si secundum essentialem conceptum intellectionis, & volitionis considerentur; adeoque reali inter se identitate sunt unum: at non repugnat, quod habeant terminos realiter inter se distinctos, Filium scilicet, & Spiritum Sanctum: nam in terminis & effectibus major potest esse distinctio, quam in fundamentis, causis, & principiis inveniatur: proindeque etsi intellectio, & volitio quæ sunt actiones, & intellectus, & voluntas quæ sunt principia procedendi, in Deo tantum formaliter distinguantur, non tamen una erit divina processio. Ex quibus apparet, quod prima Filii processio omnem naturæ fæcunditatem exhauriat quæ ad intelligendi, non quæ ad volendi ordinem pertinet; adeoque quamvis unicus esse debeat Filius, non tamen ideo Spiritus Sancti processio deneganda est,

CAPUT II.

Statuit Principia Divinarum Processionum.

VUlgo Scholastici duplex distinguunt in agente principium; alterum enim principium *quod*, alterum vero principium *quo* passim appellant. Primum est hypostasis, sive Persona, cui tribuitur operatio: ex quo prodiit illud effatum: *Actiones sunt suppositorum*. Principium autem *quo* est forma, sive virtus, per quam suppositum operatur. Dividitur insuper istud principium in remotum, quo Persona remote agit; & in proximum, quo immediate utitur, dum producit. Ita homo est principium *quod* intelligit; rationalis vero anima est principium *quo* remotum, & intellectus est principium *quo* proximum intellectionis humanæ.

Concedunt omnes, principium *quod* divinarum processionum esse Personam, quæ aliam producit: ita Pater est principium *quod* generationis Filii, & uterque est unum principium *quod* processionis Spiritus Sancti. Nam principium quod producit, a termino qui producitur, realiter distinctum est: atqui Personæ tantum in Deo realiter distinguuntur; essentia vero, intellectus, voluntas, & cetera attributa tribus Personis sunt communia: ergo sola Persona potest esse principium *quod* producit.

Quod vero pertinet ad principium *quo*, non una est Theologorum opinio. Durandus asse-

ruit,

ruit, divinam naturam esse immediatum & proximum divinarum processionum principium ratione infinitæ fœcunditatis suæ, non ratione intellectus, & voluntatis. Alii vero Theologi passim affirmant, quod divina natura sit principium remotum; in assignando autem principio proximo dissentiunt. Quidam enim relationes originis pro hujuscemodi principio statuunt; alii tamen plures intellectui & voluntati notionali munus istud attribuunt; ita nimirum ut intellectus & voluntas licet in recto producant, connotent tamen relationes paternitatis, & spirationis activæ, veluti conditiones necessario requisitas ad hoc, ut facultates illæ principii proximi rationem valeant exercere.

Propositio 1. Essentia est remotum principium *quo* divinarum processionum.

Probatur 1. Perfectio omnis, omnisque fœcunditas, quæ in facultatibus, sive principiis alicujus essentiæ reperitur, ab ipsa essentia remote dimanat, a qua & ipsa operandi principia profluunt: ergo cum intellectus, & voluntas sint principium *quo* proximum divinarum processionum, uti mox probabimus; dicendum profecto est, quod essentia sit principium *quo* remotum.

Probatur 2. Illud est principium *quo* remotum divinarum processionum, cui earundem processionum termini assimilantur: atqui termini divinarum processionum assimilantur essentiæ; quælibet enim Persona procedens est Deus: ergo.

Egregie Doctor Angelicus in p. 1. q. 41. a. 5. hoc explicat inquiens: *Omne producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile quantum ad formam qua agit: sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cujus virtute pater potest generare hominem. Illud er-*

go est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti : Filius autem Dei similatur Patri gignenti, in natura divina: unde natura divina in Patre, est potentia generandi in ipso. Unde Hilarius dicit in 2. de Trin. Nativitas Dei non potest eam ex qua profecta est, non tenere naturam : nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam de Deo subsistit.

Objicies. Concilium Lateranense IV. adversus Abbatem Joachim definivit, quod Essentia divina *non est generans, neque genita, nec procedens*. Atqui quod ita se habet, neque principium, neque terminus esse potest divinarum processionum.

Resp., concedo majorem, ac distinguo minorem, non est principium quod producit, neque terminus qui producitur, conc. min., non est principium quo Persona producit, neque terminus quo Persona producta a producente suum esse desumit, nego minorem, & consequentiam. Licet ex dictis Essentia sit remotum generandi principium, dici tamen recte non potest, quod illa generet ; actiones enim sunt suppositorum, ac de suppositis enunciantur. Agit hac de re Seraphicus Doctor in 1. d. 5. a. 1. q. 1., & ut veritatem istam ostendat, hæc inter alia scribit : *Generare est proprietas Personæ, communicabilitas est Essentiæ : ergo sicut se habet communicabilitas ad Personam, ita proprietas personalis ad Essentiam: sed communicabilitas nunquam est Personæ ; quia hæc est falsa*, Pater est communicabilis : *ergo nec proprietas personalis erit Essentiæ, ergo nec generare, cum sit Personæ.*

Licet insuper Essentia sit terminus qui Filio, & Spi-

& Spiritui Sancto in eorum processionibus communicatur, sive terminus sit, quo Filius & Spiritus Sanctus suum esse substantiale recipiunt; non tamen bene dicitur, quod ipsa generetur Essentia, vel procedat; quia, uti notat S. Bonaventura laudato in libro ac distinctione, a. 2. q. 1., *illud solum dicitur generari proprie, ad quod terminatur generatio secundum rationem producendi; ideo Persona generatur, non substantia vel essentia: & ideo hæc non recipitur:* Essentia generatur.

Cum vero Abbas Joachim in suo libello contra Petrum Lombardum asseruisset, quod sicuti dicitur, *Deus genuit Deum*; ita dici posset, *Essentia genuit Essentiam*; merito sententiam ejus Concilium Lateranense proscripsit; quia, ut ait S. Bonaventura in 1. d. 5. dubio 3., *Essentia est res una quantum ad suppositum, & significatum (non enim supponit Personas): sed Deus est res una quantum ad significatum, sed plures quantum ad suppositum. Et ideo ignoranter Joachim reprehendit Magistrum. Et sic justo Dei judicio damnatus fuit libellus ejus in Lateranensi Concilio, & positio Magistri approbata*. Lege etiam Doctorem Angelicum in p. 1. q. 39. a. 5.

Loquitur itaque Concilium non de principio *quo*, sed de principio *quod*; sicuti etiam ex verbis quæ adjungit, apparet; inquit enim: *Sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura*. At distinctio quæ in Personis habetur, repetitur ex principio *quod*; quia nimirum, nihil esse potest producens, & productum: ex parte vero principii *quo* sive proximi, sive remoti po-

tius similitudo provenit & unitas inter eum qui producit, & qui producitur. Quapropter Angelicus Doctor in p. 1. q. 41. a. 5. ad 1. ait: *Agens distinguitur a facto, & generans a generato. Sed id quo generans generat, est commune genito, & generanti; & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum divina generatio sit perfectissima, id quo generans generat, est commune genito, & generanti, & idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quod Essentia divina est principium quo generans generat, non sequitur, quod Essentia divina distinguatur a generato; sicut sequeretur, si diceretur, quod Essentia divina generat.* Quæ Angelica doctrina declarat etiam, quid de Spiritus Sancti processione dicendum sit.

Propositio 2. Essentia divina non est principium *quo* proximum divinarum processionum.

Probatur. A Scriptura, & Patribus Filius sæpissime dicitur Verbum; sicut & Spiritus Sanctus Amor, & Donum, & Charitas vere & proprie nuncupatur; ut infra suo in loco videbimus. Atqui Verbum proxime, & immediate non a natura, sed ab intellectu procedit; quemadmodum Amor, Donum, & Charitas a voluntate dimanat.

Deinde si a naturæ fæcunditate, non ab intellectu, & voluntate, Filius, & Spiritus Sanctus proxime & immediate procederent; nulla reddi ratio posset 1., cur processio Filii processionem Spiritus Sancti præcedat origine: 2. cur una processio, & non altera, generatio esse dicatur; cum utraque ab eadem natura eodem modo manaret: 3. cur Filius a Patre tantum, & Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat: 4. cur

4. cur duæ solummodo sint, & non plures ac infinitæ; vel cur potius non una sit in infinito Ente processio: nam si processiones ab Essentia, quatenus est summe fæcunda, immediate profluerent; ergo vel per unicam intensive infinitam processionem ejuscemodi fæcunditas sisteretur, vel infinitæ numero processiones ad id necessariæ forent.

Propositio 3. Relationes paternitatis, & spirationis activæ non sunt principium *quo* proximum divinarum processionum.

Probatur ex S. Thoma in p. 1. q. 41. a. 5. in conclusione. „ Licet paternitas ut forma „ Patris significetur, est tamen proprietas per„ sonalis, habens se ad Personam Patris, ut „ forma individualis ad aliquod individuum „ creatum; forma autem individualis in rebus „ creatis constituit Personam generantem; non „ autem est quo generans generat; alioquin „ Socrates generaret Socratem. Unde neque „ paternitas potest intelligi ut quo Pater ge„ nerat, sed ut constituens personam generantis; „ alioquin Pater generaret Patrem.

Hæc autem Doctoris Angelici ratio ostendit pariter, quod nec activa spiratio sit id quo spirant Pater, & Filius. Dicendum est igitur, quod si Persona procedens cum Persona producente nullatenus in relatione sit similis; relationes paternitatis, & activæ spirationis neque totale, ut ajunt, neque partiale dici possunt principium *quo* Filius, & Spiritus vel proxime, vel remote procedant. Quod etiam aperte docuisse videtur Anselmus, dum in Monologio c. 52. de Spiritu Sancto sic ait: *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius; sed ex eo, in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt; alia*

 enim

enim est relatio Patris, alia Filii: sed ex ipsa sua Essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater, & Filius tantum pariter bonum.

Objicies. Illud est principium *quo* proximum generationis in Patre, per quod ille habet, ut sit Pater: atqui hoc habet per relationem paternitatis: ergo cum id quod dat esse, det etiam operari, uti Schola loquitur; si per paternitatem in ratione Patris prima Persona constituitur, per eandem etiam accipit, ut operetur, & generet.

Respondetur ex dictis, quod relatio paternitatis Patrem quidem constituit in ratione principii *quod* generat, & est conditio ad generandum requisita; sicut & activa spiratio ex parte divinæ voluntatis est conditio, quæ requiritur ad spirandum: at non est principium *quo* Pater generat, cum sit proprietas personalis, in qua Genitor, & Genitus similes non redduntur. Sicut ergo in creatis Socrates non Socratem, sed hominem gignit; ita & in divinis Pater non Patrem sed Filium, non in paternitate, sed in essentia, intellectu, voluntate, ceterisque essentialibus prædicatis sibi similem producit: proindeque paternitas relate ad Filium rationem principii *quo* habere non potest; sicut & ob eandem causam activa spiratio dici nequit principium *quo* relate ad Spiritus Sancti processionem: nam etiam in creatis Socrates non respicit pro principio *quo* generat, singularitatem suam, vel hypostasim, sed naturam; ipsam scilicet humanitatem. Operari igitur sequitur esse, quod ad naturam pertinet, non quod pertinet ad hypostasim.

Hic autem obiter adnotamus, quod licet in Deo personalis & relativa proprietas non sit pro-

producendi principium, poteſt tamen Eſſentia, quamvis intrinſecus ſingularis, per intellectum, & voluntatem munus iſtud efficere; ſecus ac accidit in creatis: quia divina eſſentia ob infinitam ſui perfectionem inter producentem, & productum dividi omnino non poteſt; creata vero & finita natura inter producentem, & productum ſcindi quodammodo debet ac dividi; unde quia in utroque prorſus eadem non eſt, non ſingularis dicitur, ſed communis.

At inſtabis. Principium *quo* proceſſionum, producentem a producto diſtinguit; cum principium ad terminum referatur, neque poſſit aliquid producere ſemetipſum: atqui in Deo Perſona producens, & producta inter ſeſe ſolis relationibus diſtinguuntur: ergo principium *quo* in divinis non poteſt, niſi in relatione conſiſtere.

Reſpondetur, nego majorem. Nam diſtinguitur utique principium *quod*, & relatio quæ ipſum in ratione Perſonæ conſtituit, a termino quem producit: at principium *quo* ex ſeſe non eſt ratio, cur producens, & productum ab invicem diſtinguantur, ſed ratio potius eſt, cur inter ſeſe ſint illa ſimilia. Omne enim agens aſſimilare ſibi intendit terminum in principio, quo ſive remote, ſive proxime operatur.

Sat igitur erit, quod principium *quod* in recto producens a productionis termino ad quem refertur, realiter ſit diſtinctum. Et licet in creatis principium *quo*, quia finitum eſt, diſtinguatur a termino, & ad illud relative dicatur; in Deo tamen, cujus natura & eſſentiale quodlibet prædicatum multiplicari non poteſt, principium *quo* ad terminum non refertur.

Propoſitio 4. Principium *quo* proximum relativum

late ad generationem Verbi est intellectus, prout connotat relationem paternitatis; & principium *quo* proximum relate ad processionem Spiritus Sancti est voluntas, ut connotat relationem spirationis activæ, quæ in Patre & Filio reperitur.

Probatur. Et quidem quod intellectui, & voluntati in recto, ut inquiunt, competat ratio principii proximi, satis superque constat ex dictis: ex Personis enim quæ procedunt, altera Verbum, altera Amor vere ac proprie dicitur, & notionalibus hisce nominibus a Scriptura & Patribus designatur: atqui Verbum immediate ab intellectu, & Amor immediate a voluntate procedit.

Quod autem facultates illæ, ut sint principia, exigant quod simul secum, veluti conditiones, paternitas, & spiratio activa concurrant; ex eo perspicuum fit, quia si potentia proxima generandi Filium, & potentia proxima spirandi Spiritum Sanctum, in intellectu & voluntate consisteret, prout essentiales solummodo & absolutæ sunt facultates; jam generandi spirandique potentia esset æqualiter omnibus concedenda Personis; absolutæ namque perfectiones Personis omnibus sunt communes juxta tritissimum illud effatum: ***In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio***. Ergo Filius alium generare Filium posset, & posset Spiritus Sanctus generare Filium alium, & alium Spiritum Sanctum spirare: cumque id quod in Deo possibile est, in ipso sit reipsa ponendum; reipsa Filius alium Filium, & Spiritus Sanctus alium Filium, aliumque Spiritum Sanctum haberet; imo plurimæ, & infinitæ essent in Deo Personæ, juxta illud Augustini in lib.2. alias 3. contra Maximinum

c. 12.

c. 12. *Nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret ullus, si non sufficeret unus.*

Ut igitur intellectus & voluntas sint principia processionum, requirunt relationes originis, veluti conditiones ad generandum & spirandum necessario requisitas: ac inde petenda ratio est, cur in solo Patre generet intellectus, & in Patre & Filio, non autem in Spiritu Sancto spiret voluntas; quia nimirum in solo Patre paternitas, & in Patre ac Filio, non vero in Spiritu Sancto activa spiratio invenitur, sine quibus in Deo neque intellectus, neque voluntas, neque essentia fæcunditatem suam exererent.

Objicies 1. Relatio paternitatis fundatur in generatione, illamque supponit; ideo enim est Pater, quia genuit: ergo relatio paternitatis neque ut conditio concurrit ad hoc, ut Pater Filium producat.

Resp. cum S. Thoma in q. 10. de potentia a. 3., quod relatio in Deo dupliciter considerari potest, vel nempe quatenus est constitutiva Personæ, vel quatenus sub expresso relationis conceptu unam Personam refert ad aliam: *si consideretur relatio, ut relatio est, præsupponit processionis intellectum. Si autem consideretur, ut est constitutiva Personæ a qua est processio, est prior secundum intellectum, quam processio; sicut paternitas, in quantum est constitutiva Personæ Patris, est prior secundum intellectum, quam generatio. Relatio autem, quæ est constitutiva Personæ procedentis, etiam in quantum est constitutiva Personæ, est posterior secundum intellectum, quam processio: sicut filiatio, quam nativitas. Et hoc ideo, quia Persona procedens*

in-

intelligitur ut terminus processionis. Deinde cum a parte rei relatio paternitatis, & generatio activa sit una eademque formalitas, affirmamus, quod quidquid sit de puro intellectus nostri conceptu, formalitas ista concurrat ut conditio, sine qua intellectus proxime, & essentia remote ad generandum fæcunda non esset.

Objicies 2. Habet Filius generandi potentiam, sive principium: ergo generandi fæcunditas non necessario connotat paternitatem, alioquin non esset in Filio. Probatur antecedens 1. quia Filius æqualis est Patri, æqualis autem non esset, si generandi facultate careret. 2. quia scribit Augustinus in lib. 2. alias 3. contra Maximinum c. 7., potentiam generandi sub *omnipotentia* contineri: at quis nedum Patrem, sed & Filium Omnipotentem esse negabit? 3. quia eodem in libro c. 12. ostendens S. Doctor, quod Pater non sit Filio potentior, etsi ille genuerit Creatorem, iste non item, ait: *Neque enim non potuit* Filius generare, *sed non oportuit*. Licet igitur Filius, quia non oportuit, actum generandi non habeat, habet profecto potentiam.

Resp., quod Filius habeat generandi principium secundum id quod principium istud includit in recto, prout scilicet essentialem intellectum ipsamque Essentiam connotat; non autem, prout paternitatis conditionem involvit, quam quia ille non habet, generare omnino non potest. Lege Seraph. Doctor. in 1. d. 7. a. unico q. 2.

Æqualitas autem quæ Patrem inter & Filium reperitur, præstat utique quod in utroque eadem sit substantia, & omnis absoluta perfectio; non vero Filium efficit generantem: nam si

si Filius æqualis esset Patri, illumque *repræsentaret in actu generandi, jam esset Pater: & ideo nec intelligibile, nec possibile est Filium generare, sive in generatione Patrem imitari:* uti laudato in loco scribit S. Bonaventura.

Neque docet Augustinus, quod generandi virtus ab omnipotentia oriatur, quatenus illa essentialis tantum & absoluta perfectio est; sed quatenus omnipotentia paternitati, tanquam necessariæ conditioni, conjungitur. Unde ait, quod si Pater æqualem sibi Filium gignere non potuit, *ubi est Omnipotentia Dei Patris?* Ergo licet Filius omnia possit, quia tamen Pater non est, generare omnino non potest.

Ex altero autem testimonio S. Bonaventura in oppositum sic argumentatur: Dicit Augustinus, *quod non oportuit Filium generare; sed si non fuit opportunum nec conveniens; sed omne inconveniens in Deo est impossibile: ergo impossibile fuit Filium generare; ergo Filius non potest generare: ergo non habet potentiam generandi*,

Verba vero illa, *neque enim non potuit*, idem S. Doctor per distinctionem exponit; *quia* non *potest teneri privative, & tunc est sensus: non potuit, id est, impotens fuit: & tunc negatur potentia, & relinquitur aptitudo; sicut de truncato dicitur, quod non potest gradi: hoc modo non potest dici de Filio, quia non habet ad hoc aptitudinem; & in hoc sensu loquitur Augustinus. Alio modo* non posse *tenetur negative; & in hoc sensu concedendum est, quod Filius non potuit generare*. Ergo Filius generare non potest, non quia essentiali aliqua perfectione careat, sed quia relationis conditionem, paternitatem scilicet, in seipso non habet.

CA-

CAPUT III.

Demonstrat objectum, ex cujus cognitione Verbum, & ex cujus amore Spiritus Sanctus procedit.

MUltiplex divinæ cognitionis, divinique amoris assignari potest objectum; primum videlicet est Essentia, & quælibet ejus absoluta perfectio: secundum sunt Personæ, earumque relationes: tertium sunt creaturæ mere possibiles: quartum sunt creaturæ ad contingentem existentiam ordinatæ. Quærimus itaque, an Verbum ex horum omnium cognitione sit a Patre productum; & de Spiritu Sancto similiter, an ex eorundem amore procedat.

Propositio I. Dei Verbum procedit ex cognitione essentiæ, attributorum, & Personarum; sicut & Spiritus Sanctus ex eorundem prædicatorum amore producitur. Ita sentiunt Thomistæ, ac recentiores etiam Scoti sectatores.

Probatur. Pater Verbum producit ex perfectissima & comprehensiva Divinitatis cognitione: atqui cognitio Divinitatis perfectissima & comprehensiva non esset, nisi id omne perciperet, quod in Deo *formaliter* continetur; cujusmodi sunt Essentia, attributa, Personæ. Ut enim scribit Augustinus in epist. 147. ad Paulinam c. 9. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.* Ergo Verbum ex illorum prædicatorum cognitione

ne a Patre producitur. Ergo & Spiritus Sanctus cum ex comprehensivo Divinitatis amore procedat, amorem essentiæ, attributorum, & Personarum ad sui processionem necessario præsupponit.

Videtur aliquibus, affirmasse Scotum, quod Verbum, & Spiritus Sanctus non ex cognitione & amore Personarum, sed solius essentiæ producantur: at Mastrius, Frassen, aliique non obscure demonstrant, falsum id esse, neque Venerabilem Doctorem a nostra ullatenus discrepare sententia.

Objicies 1. Antequam Verbum a Patre procedat, non potest ab illo abstractive cognosci; abstractiva namque cognitio, utpote confusa & obscura, imperfectionem includit: sed neque cognosci potest intuitive, quia intuitiva cognitio objectum respicit, quod vel in præsenti signo existit, vel in aliquo signo futuro: at Verbum cognosci non potest ut existens in eo signo, in quo non adhuc est productum; neque ut existens in aliquo signo futuro, cum futuritio non de Ente necessario, sicuti Verbum est, sed de contingenti tantummodo creatura possit enunciari: omnino igitur nequit Verbum ex sui cognitione procedere. Quod autem de Verbo diximus, de Spiritu Sancto etiam dicendum est; quia & ipse non existit, dum Verbum produci concipitur; non ergo Verbum ex Spiritus Sancti cognitione producitur.

Resp., quod in priori illo originis signo, in quo non adhuc concipitur Verbi & Spiritus Sancti processio, duæ istæ Personæ intuitive cognoscantur a Patre non in seipsis, sed in Essentia, quæ est motiva ratio cognoscendi quodcumque objectum in signo vel originis, vel

vel naturæ, vel durationis, quod existentiam cujuslibet terminativi objecti præcedit. Nec tamen inde sequitur, quod in primo originis signo, in quo concipitur solus Pater, debeant a nobis Filius & Spiritus Sanctus concipi, ut futuri; futuritio siquidem non ad diversa tantum originis signa refertur, sed successivam temporis durationem includit. Semper itaque Filius & Spiritus Sanctus Patri coexistunt; licet quia illi in ratione Personæ non a se, sed a Patre per productionem existant; in primo quidem signo originis intuitive cognoscantur in Essentia, in altero autem originis signo procedant. Ergo potest Verbum ex præsupposita tum sui, tum Spiritus Sancti cognitione produci.

Ex dictis apparet ratio, cur divina cognitio in seipsa semper invariata persistat; quamvis pro diversitate signorum non eodem modo Verbi, & Spiritus Sancti processio concipiatur. Dei namque cognitio ad Essentiam: velut ad motivum & principale refertur objectum, quod pro quolibet signo Personas Verbi & Spiritus Sancti clarissime repræsentat. Sicuti nempe scientiam quam de creaturis Deus habet, propterea dicimus immutabilem, quod Dei Essentia clare semper illas exhibeat, etsi diversa sint tempora, quorum respectu divinus intellectus creaturas uti futuras, uti præteritas, uti præsentes agnoscit: ita hoc idem majori cum ratione dicendum est, dum de Dei scientia loquimur, prout illa ad Verbum & Spiritum Sanctum tendere concipitur; nam licet diversa originis signa distinguantur in Deo, omnes tamen illæ Personæ in eodem indivisibili æternitatis instanti conjunctim existunt.

Objicies 2. Si quod asserimus, verum esset, duo

duo maxima consequerentur absurda: primum quidem, quod Verbum non tantum Patris, sed & Spiritus Sancti esset imago: duo enim ad rationem imaginis requiruntur; similitudo videlicet, & processio: atqui Verbum Spiritum Sanctum exprimeret, & ex ejus etiam cognitione procederet.

Alterum vero absurdum esset, quod Verbum sui ipsius principium foret; cognitio enim objectum respicit, ut principium: non ergo potest Verbum ex sui cognitione produci. Et ob eandem causam nequit ex Spiritus Sancti cognitione procedere; alioquin Spiritus Sanctus principii rationem haberet relate ad Filium, a quo simul cum Patre producitur.

Resp. ad 1., quod licet Verbum ex sui ipsius, & Spiritus Sancti cognitione procedat; sui tamen, & Spiritus Sancti imago dici non potest. Aliud enim est, quod in Essentia Dei, tanquam in principali objecto, tota Trinitas exprimatur, antequam Verbum produci concipitur: aliud vero est, ejusmodi cognitionem veluti principium *quod* ad processionem Verbi concurrere. Ergo Verbum cum a Patre tantum originem suam accipiat, tanquam a principio *quod* producit; idcirco Patris tantum imago est: licet quando Pater Verbum gignit, comprehendendo Essentiam suam, ipsum etiam Verbum & Spiritum Sanctum pro cognitionis suæ objecto respiciat.

Ac per hoc jam ad 2. facilis est responsio. Infinita enim veritas, & exprimendi virtus, sive intelligibilitas soli Essentiæ competit, non Personis; est enim absoluta perfectio, quæ in suo objectivo conceptu relationibus Personarum convenire non potest. Essentia igitur Filium,

& Spiritum Sanctum divino intellectui repræsentat, etiam antequam Filius a Patre produci concipitur; adeoque ipsa est principium cognitionis Verbi; in ratione tamen objecti motivi, non in ratione suppositi quod producit, vel principii quo Verbum proxime producitur. Quo autem modo Essentia sit principium quo remotum divinarum processionum, superiori in cap. 2. demonstratum est. Verbum igitur, & Spiritus Sanctus dum in divina Essentia cognoscuntur, sunt dumtaxat objectum *secundarium* cognitionis illius: ergo neque Verbum est physica & realis causa, sive principium sui ipsius; neque Spiritus Sanctus est physicum & reale principium Verbi, a quo simul cum Patre velut a principio *quod* procedit.

Propositio 2. Verbum nullo modo procedit ex cognitione possibilium & futurorum. Assertio est contra Thomistas, qui passim existimant, quod Verbum *per se*, *&* *essentialiter* ex cognitione possibilium producatur; *concomitanter* autem, & quasi *per accidens* ex futurorum etiam cognitione procedat.

Probatur. Juxta rationabilem intelligendi modum Pater in priori signo cognoscit Essentiam suam, & attributa, & relationes, quæ *formaliter* sunt in Deo; & postea nosse concipitur possibilia & futura, quæ in Deo *eminenter* solum, & *virtualiter* continentur: objectum enim primarium, & id omne quod ad ejus spectat Essentiam, prius cognoscitur, quam objecta finita, extrinseca, & mere secundaria cognoscantur. Atqui cognitio quæ in primo signo terminatur ad ea quæ sunt in Deo formaliter, cum sit infinita & perfectissima, sufficit ad hoc ut Verbum perfectissimo modo ex Patre

tre

tre procedat. Non ergo Verbi processio cognitionem futurorum, vel possibilium præsupponit.

Deinde Verbum est Deus; ergo major in illo est agnoscenda necessitas, quam in creaturis tum possibilibus, tum futuris: nullo igitur modo Verbum ex creaturarum cognitione procedit: non enim potest id quod absoluta necessitate subsistit, præsupponere ad productionem sui cognitionem eorum, quæ vel contingentia sunt, vel longe minori necessitate sunt prædita.

Quod si de futuris speciatim loqui velimus, præcipua obsistit ratio, ne dicamus, quod Verbi processionem eorum cognitio antecedat. Verbum enim necessario ac naturaliter a divino intellectu producitur, creaturæ autem contingenter a divina voluntate futuritionem accipiunt: atqui in Deo prius intellectus, quam voluntas operari concipitur; priusque intelligitur actio necessaria, quam contingens; ergo.

Objicies 1. cum Gotti in tractatu de Deo Trino q. 5. dub. 2. §. 3. n. 14. „ Verbum divi-
„ num procedit ut expressivum, non solum
„ eorum, quæ in Deo sunt, sed etiam crea-
„ turarum, idest non expressivum tantum, sed
„ & factivum; ergo cognitio, per quam pro-
„ cedit, attingit non solum ea, quæ in Deo
„ sunt, sed etiam creaturas, quæ a Deo sunt;
„ ergo non est cognoscitiva tantum, sed & fa-
„ ctiva: nihil enim est in Verbo expressum,
„ quod cognitione, qua procedit, non fuerit
„ cognitum.

Resp., quod Verbum procedit quidem ut expressivum etiam creaturarum; non tamen eas reipsa exprimit in eodem signo, in quo pro-

cedit. Sola namque cognitio Essentiæ, & eorum quæ formaliter inveniuntur in Deo, antecedenter ad Verbi productionem exigitur: ergo Verbum dum procedit, ea tantum exprimit, quæ prædicata necessaria sunt & infinita, & a Deo realiter non distincta. Ea vero ad quæ vel eminenter, vel virtualiter Essentia divina refertur, creaturæ videlicet, exprimuntur quidem in Verbo, sed in signo quod ejus productioni succedit; cum divina mens prius ea respiciat quæ intra, quam quæ extra Deum sunt; uti supra probavimus.

Filius itaque ex vi processionis suæ a Patre scientiam accipit, per quam ordinate repræsentet objecta: ejuscemodi vero scientia terminari non concipitur ad actuales vel possibiles creaturas, nisi post Filii & Spiritus Sancti productionem: ergo Pater prius Filium producit, eidemque suam scientiam communicat, quam hæc ad futura vel possibilia terminetur. Eodem nempe modo, quo Pater Filio potentiam creandi communicat, quin tamen illa reipsa creet; eidemque activam tribuit spirationem, qua tamen Pater & Filius in signo tantum quod hujusce processionem sequitur, Spiritum Sanctum producunt: ita & a Patre Filius accipit scientiam, quin tamen illa in prioribus signis reipsa vel futura, vel possibilia contempletur. Quod vero scientia Dei factiva vel effectiva dicenda non sit, constat ex libri IV. capite IV.

Ex dictis apparet ratio, cur Pater scientiam creaturarum prius origine habere dicatur. Id enim verum est, non quia creaturas intelligit in eo signo, in quo Filius, & Spiritus Sanctus ab ipso procedunt; sed quia cognitionem illam ab alia Persona nullatenus accipit; Filius au-

autem, & Spiritus Sanctus sicut a Patre essentiam habent, ita habent & scientiam, qua juxta prædictum ordinem possibilia ac futura percipiunt.

Objicies 2. cum Eodem. „ Nequit comprehendi divina Essentia, quin comprehendatur „ divina omnipotentia in ea inclusa. Nequit „ autem comprehendi divina omnipotentia, quin „ cognoscantur omnes effectus in ipsa præcontenti, & ab ipsa causabiles: sed creaturæ „ possibiles sunt effectus præcontenti in divina „ omnipotentia, & ab ea causabiles; ergo ex „ vi comprehensionis illius debent cognosci.

Resp., quod cum Dei Essentia, ejusdemque potentia unam rem constituant; idcirco altera sine altera comprehendi non potest: tendit enim comprehensiva cognitio in prædicata omnia, quæ in objecto formaliter continentur. At possibilia diversam naturam habent a Deo; proindeque non solum in eo formaliter non inveniuntur; sed neque cum ejusdem Essentia, vel potentia necessario connectuntur; Enti namque infinito & independenti perfectio nulla deesset, etiamsi nulla foret creatura possibilis. Ergo omnipotentia est Dei attributum nullatenus a creaturis dependens, neque cum illis necessario copulatur, neque ad illas ulla necessitate refertur. Hinc rectissime scribit Anselmus in Monologio c. 31., quod *etiamsi nihil unquam aliud esset, nisi summus ille Spiritus, ratio tamen cogit Verbum illud quo se dicit* Pater, *de necessitate esse*.

Descendit ex dictis, quod neque Spiritus Sanctus ex amore futurorum, & possibilium producatur. Cum enim ille sit Deus, ejusdemque processio absolute ac simpliciter sit necessaria; amorem dumtaxat Essentiæ, & prædica-

catorum omnium, quæ simul cum Essentia rem unam eandemque constituunt, præsupponit; non vero requirit, quod possibilia & futura prius amentur, quam ille procedat.

CAPUT IV.

Ostendit quod sola Verbi processio sit generatio, & hujusce rei causam assignat.

QUod processio Verbi notionem veræ generationis includat, nemo ex Catholicis revocare potest in dubium. Hoc enim aperte demonstrant ea Scripturarum oracula, in quibus Verbum Filii & Unigeniti nomine designatur. Ita, ut ex pluribus pauca proferamus, in Psalmo 2. v.7. legitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Quem profecto textum, aliosque consimiles adducit Apostolus ad Hebræos c. 1., ut ostendat, Christum tanto meliorem Angelis effectum esse, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Ergo Christus ratione divinæ Personæ non adoptione tantum est Filius, uti sunt Angeli, sed natura: ergo Verbi processio vera & propria generatio dicenda est.

Hoc idem asseritur in Psalmo 109. v.9. *Ex utero ante luciferum genui te*. Unde S. Hilarius in lib. 6. de Trin. n. 16. inquit: *Ex utero, ut non ex nihilo creatio substitisse, sed ex se Unigeniti sui naturalis nativitas doceretur*.

Denique tum alibi, tum Joan. c. 3. v. 16. Filius

lius *Unigenitus* appellatur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quo sane nedum ostenditur, quod Verbum sit Dei Filius naturalis, verum etiam quod ipse solus vera & proprie dicta generatione a Patre processerit: non ita tamen Spiritus Sanctus, qui, uti fatetur Ecclesia in Symbolo quod Athanasii nomine circumfertur, est a Patre & Filio, *non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Licet autem certum sit, quod Verbi processio generationis ideam habeat, non item processio Spiritus Sancti; passim tamen Ecclesiæ Patres affirmant, quod clara & evidens hujusce rei ratio assignari omnino non possit. Unde S. Augustinus in lib. 2. alias 3. contra Maximinum c. 14. scribit: *Quid inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur; sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Hæc scio: distinguere autem inter illam generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

Quia tamen iidem Patres vero magis similem hujusce discriminis rationem proferre aliquando conati sunt; idcirco Scholæ etiam Theologi probabiles quasdam invenere conjecturas, ut pro viribus mysterium istud exponerent, & hæreticorum sophismata refutarent.

Putarunt ergo aliqui, Filium idcirco esse genitum, non vero Spiritum Sanctum; quia ille ab uno est, iste autem a duobus. Modo uti scribit Augustinus tract. 99. in Jo. n. 9., si & Spiritus Sanctus *Filius diceretur, amborum uti-*

que Filius diceretur, quod absurdissimum est; Filius quippe nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur.

At ratio isthæc suam patitur difficultatem. Agendi namque principium, sive in uno, sive in duplici supposito inveniatur, dummodo unum idemque sit, eodem semper modo producit: sicut idem generatur ignis, sive unicus, sive duplex ignis ad generandum pari actione concurrat. Esto autem in creatis ille qui gignitur, a duobus ea conditione procedat, ut alter sit pater, altera mater; hoc tamen ideo est, quia corporalis generatio nedum maris, sed & feminæ actionem expostulat. Ceterum divina non sunt humanis actibus comparanda, multaque spirituali, perfectissimæ, ac divinæ generationi conveniunt, quæ creatæ, & corporali generationi convenire non possunt. Sicut itaque Dei Filius a Patre sine matre producitur, secus ac accidit in creatis: ita dici posset, quod si generandi principium & conditio in duabus Personis esset, illæ relate ad Spiritum Sanctum quem gignerent, nomen unius Patris haberent; nam & nunc Spiritus Sanctus quanquam a duabus Personis procedat, illæ tamen propter unicum spirandi principium, unus dicuntur esse Spirator.

Augustinus autem citato in loco juxta vulgi captum persuasionem aliquam attulit, non ex rei intrinsecis veram causam vestigavit; ideoque præmisit: *Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus Sanctus*. &c. Sed de Augustini mente mox erit agendum.

Ri-

Richardus a S. Victore, aliique perpauci affirmarunt, quod Filius idcirco sit genitus, quia a Patre accipit naturam fæcundam, nempe cum virtute producendi Spiritum Sanctum: hic vero cum naturam fæcunditatis expertem accipiat, personam aliam non producit; adeoque cum a Patre in naturæ similitudinem non procedat, genitus dici omnino non potest: generatio namque describitur: *Origo viventis a vivente, principio vitæ conjuncto, in similitudinem naturæ.*

At si ad hoc ut quis Filius esset, oporteret, ut ab alio fæcundam naturam acciperet, sequeretur, quod cum Pater nedum spirandi, sed & generandi principium habeat; Filius autem quamvis spiret, generare non possit; jam iste non in perfectam similitudinem naturæ procederet, neque verus ac perfectus Patris Filius dici posset.

Deinde alius est paternitatis, alius est spirationis activæ conceptus: hinc si spirandi vis in Patre non esset, adhuc posset ille Filium generare: ergo adhuc Filius esset, quamvis & iste spirandi virtute careret: quod ergo nunc spiret, nihil confert, ut genitus esse dicatur.

Tandem dum dicitur, quod generatio naturæ similitudinem exigat, naturæ nomine non agendi, sed essendi principium, sive ipsa essentia denotatur: hæc autem cum in tribus Personis una sit & eadem, non tantum Filius, sed & Spiritus Sanctus in perfectam similitudinem divinæ naturæ procedunt. Licet Dei Filius Filium alium generare non possit, quia ipse adæquate terminat generationem; & Spiritus Sanctus neque generet, quia Unigeniti Filii productionem supponit, neque spiret, quia ipse est passiva

siva spiratio, sive adæquatus terminus spirationis activæ.

Ut autem brevitati consulamus, omissis aliis hac de re opinionibus quæ facile refutantur, ad expendendam communiorem Scotistarum assertionem accedimus. Arbitrantur ergo illi, idcirco Verbi generationem a Spiritus Sancti processione differre, quod Verbum per intellectum qui naturalis facultas est, proxime producatur; Spiritus vero Sanctus proxime a voluntate procedat, quæ potentia libera est, & libere illum producit, non quidem accidentali, sed essentiali, ut inquiunt, libertate: quapropter ille ex vi productionis suæ procedit, ut Patri similis, & imago; iste non item. Ab hac opinione non multum Thomistarum opinio discrepat, quanquam nolint isti productionem Spiritus Sancti liberam appellare. Nobis etiam videtur, quod relata sententia ad veritatem magis accedat; licet mortalis hominis conditio nequeat evidentem hujusce discriminis rationem afferre.

Et sane quærens Augustinus in lib. 5. de Trin. c. 14., *cur non sit Filius etiam Spiritus Sanctus, cum & ipse a Patre exeat*, sic respondet: *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus, & ideo non dicitur Filius*. Et in lib. 7. c. 2. inquit: *Eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius*. Et paucis interjectis adjungit: *Id dici accipiamus, cum dicitur Verbum, ac si dicatur nata Sapientia, ut sit & Filius, & imago*.

Ex quibus aliisque similibus Augustini testimoniis colligi facile potest, quod secunda Trinitatis Persona idcirco sit Filius, quia per intellectum procedit ut Verbum simile Genitori. At Spiri-

ritus Sanctus, quia per voluntatem procedit, ut donum & amor, Filius esse non potest, ejusque productio veram generationis ideam non includit; cum ex vi processionis suæ non secundum rationem naturalis similitudinis oriatur, sed potius secundum rationem liberi impulsus, & motus.

Hinc Doctor Angelicus in p. 1. q. 27. a. 4. hac de re ita scribit: „ Hæc est differentia „ inter intellectum, & voluntatem; quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: voluntas autem fit in actu, non per „ hoc quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quæ attenditur secundum rationem „ intellectus, est secundum rationem similitudinis; & intantum potest habere rationem „ generationis, quia *omne generans generat sibi* „ *simile*. Processio autem quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur „ secundum rationem similitudinis, sed magis „ secundum rationem impellentis & moventis „ in aliquid. Et ideo quod procedit in divinis „ per modum amoris, non procedit ut *genitum* vel ut *Filius*, sed magis procedit ut „ *Spiritus*: quo nomine quædam vitalis motio „ & impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri vel impelli ad aliquid faciendum.

Neque dissentit Seraphicus Doctor qui in 1. d. 27. p. 2. a. 1. q. 4., ut in Dei Filio similitudinem originis ostendat, hæc ait: „ Sicut „ Filius per modum naturæ procedit per omnia „ Patri similis, sic Verbum intellectus a men-

„ te

„ te procedit per modum naturæ per omnia „ ei simile & æquale; unde dicitur mentis con„ ceptus. Lege ejusdem articuli q. 3., & d. 10. a. 2. q. 1.

Hæc quoque fuit Ven. Scoti sententia, qui in 1. d. 10. q. unica ait: „ quod Spiritus San„ ctus non producitur ut similis ex vi produ„ ctionis suæ; & verum est, quod non est „ imago Patris, sicut Filius, qui ex vi produ„ ctionis suæ procedit, ut similis Patri: " Et in 3. d. 8. q. unica scribit, quod filiatio sit *habitudo producti, naturaliter similis producenti . . . . Nam propter defectum hujus particulæ*, naturaliter, *Spiritus Sanctus non est Filius*.

Ergo cum hujusce rei discrimen repeti aliunde non possit, dicendum profecto erit, quod Verbum idcirco sit Filius, quia per naturalem facultatem, intellectum nempe, producitur; cujuscunque enim speciei generationes ex naturali principio profluunt. At Spiritus Sanctus qui non ex naturali, sed ex libera voluntatis actione procedit, non est Filius, neque processio ejus generatio dici potest.

Objicies 1. Spiritui Sancto ex vi processionis suæ communicatur divina natura: quidquid enim habet ille, ex vi processionis suæ habet; ergo cum Deus sit, habet naturam divinam ex vi suæ processionis: ergo procedit in similitudinem naturæ: ergo si vera esset hæc postrema sententia, etiam Spiritus Sanctus Filius esse deberet. Nam Doctor Angelicus in p. 1. q. 27. a. 2. generationem dicit esse originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto secundum rationem similitudinis: atqui Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit, veluti vivens a principio vivente conjuncto per participationem

nem ejusdem singularis Essentiæ: ergo.

Resp., distinguo antecedens, communicatur ex vi processionis suæ per principium liberum voluntatis, concedo; per naturale principium intellectus, nego antecedens. Quamvis igitur Spiritus Sanctus ex vi processionis suæ naturam accipiat similem producenti principio; idcirco tamen Filius ille non dicitur, quia non procedit ut similis ex parte principii producentis: voluntas enim per quam Spiritui Sancto communicatur divina substantia, non est principium naturale, sed liberum, idest ex sese determinatum non est ad producendum terminum sibi similem in natura. At secunda Trinitatis Persona idcirco Filius dicitur, quia per productionem suam non solum in substantia est similis Patri, a quo procedit; sed etiam ab illo procedit *ut similis*, quia non ex libero, sed ex naturali principio oritur quod ex sese intrinsecus tendit ad hoc, ut terminum sibi similem in natura producat. *Quod enim*, inquit Athanasius *de decretis Nicænæ Synodi*, *naturaliter ex aliquo nascitur, & est simile in natura, neque aliunde adoptatur, id pro Filio agnoscit natura, & eam vim significationis id vocabulum præ se fert*.

Ergo dum generatio definitur, particula illa *naturaliter* apponenda est, uti ex Scoto supra docuimus; ita nimirum ut generatio esse dicatur *origo naturalis alicujus viventis &c*: nam & S. Thomas in q. 10. *de potentia* a. 2. ex eo Spiritum Sanctum negat esse Filium, quia per voluntatem, & non per modum naturæ procedit; quapropter ex Angelici Doctoris mente idem omnino est, Filium produci per intellectum, ac illum naturali actione produci.

Ob-

tur, & objectum respicit infinitum, etiam in essendo procedit ut simile, eandemque habet cum producente substantiam: proindeque Dei Verbum est Filius, ejusque productio generatio nuncupatur, quia procedit ut imago exprimens eum, a quo procedit; exprimens, inquam, non tantum appropriate & in repræsentando; nam quamvis id ad rationem Verbi sufficiat, non tamen sufficit ad rationem Filii; sed quia proprie & realiter exprimit secundum Essentiam, quam illi Pater naturali intellectus operatione communicat: & hic procedendi modus est ille, qui Spiritui Sancto non competit. Ex suo namque conceptu voluntas effectum vel in essendo, vel in repræsentando sibi similem non producit: divina vero voluntas licet terminum habeat similem producenti; id tamen evenit, non quia expressiva ullatenus sit, sed quia perfectissima & infinita.

Dices denique cum P. Berti in lib. 8. c. 3, „ Scotistis ideo assentiri non possumus, quod „ *dictionem* ab intellectione distinguant, & *for-* „ *malitatibus* suis nimis credant. In Henno „ tandem nec istud placet, quod voluntas sit „ agens liberum libertate essentiali etiam respe- „ ctu *processionis* Spiritus Sancti. Si enim libe- „ rum appellas quidquid non agit coacte, et- „ iam Filius procedit per voluntatem: si libe- „ rum putas, quod agit indifferenter, neque „ Spiritus Sanctus voluntarie procedit; si Pa- „ trum sensa probentur, quæ cap. x. libri VII. „ in quarta oppositione, sunt explicata. Neque „ admitto voluntatem esse *agentem*, cum sit „ proprietas absoluta, & a Spiritu Sancto in- „ distincta: omne vero agens ad aliud, cujus „ principium est, referatur.

Resp.,

Resp. , quod uti patet ex dictis in hujusce libri cap. 2. , principium *quo* proximum divinæ generationis est utique intellectus, prout tamen relationem paternitatis, tanquam necessariam conditionem, includit ; & ideo quia intellectus conditionem istam in Filio, & Spiritu Sancto non habet, in hisce Personis generandi principium esse non potest. Inde autem demonstratur etiam, quod intellectio, prout essentialis tantummodo operatio est, non sit Filii productiva ; sed prout conjunctam sibi in Patre habet relationem generationis activæ, quæ *dictio* nominatur: & hoc in sensu Doctor Angelicus in p. 1. q. 34. a. 1. ad 3. ait: „ *Intelligere* importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio „ originis importatur.... Sed dicere importat „ principaliter habitudinem ad Verbum conceptum : nihil enim est aliud *dicere*, quam *proferre verbum* ... Et sic sola Persona quæ profert Verbum, est dicens in divinis ; cum tamen singula Personarum sit *intelligens* & *intellecta*, & per consequens *Verbo dicta*. Similia docet etiam S. Bonaventura in 1. d. 27. p. 2. a. unico q. 1. Consonat & Ven. Scotus in 1. d. 2. q. 7. Ex quibus evincitur, quod si ante quamcunque intellectus nostri operationem non idem in Deo sit *dicere*, ac *intelligere* : ergo in Patre alius erit objectivus conceptus intellectionis, alius conceptus generationis activæ, sive dictionis: ergo nihil mirum, si juxta principia quæ in lib. 2. c. 1. statuimus, asseramus, dictionem, prout relationem paternitatis includit, ab essentiali intellectione formaliter esse distinctam.

Diximus etiam in lib. 5. c. 4. , quod libertas essentialis non tantum coactionem excludat, quo mo-

modo omne quod juxta propriam inclinationem agit, non coacte, sed sponte agere dicitur, etiamsi rationali principio careat: neque illud libertatis genus indifferentiam contingentis actus involvit; hæc enim, uti ex S. Bonaventura citato in loco docuimus, ad voluntatem pertinet, non quatenus libera est, sed quatenus est deliberans. Ergo essentialis libertas a Scotistis ea vis nominatur, qua voluntas seipsam determinat ad agendum, ita ut quoddam dominii genus supra actum suum semper exerceat, quamvis aliquando ab actu nequeat abstinere.

Hac igitur libertate producitur Spiritus Sanctus, qui licet per immutabilem necessitatem procedat; non tamen procedit per principium, quod intrinsecus sit determinatum ad agendum: agendi namque necessitas, qua divina voluntas Deum amat, & ut principium *quo* Spiritum Sanctum producit, non illi competit, ut voluntas libera est, sed prout est infinita, & ad infinitum refertur objectum. Filius autem hujuscemodi libertatis genere non procedit, quia intellectus qui est principium *quo* generationis ejus, ex suis intrinsecis est determinatus ad hoc, ut producat terminum sibi similem; est enim facultas intrinsecus necessaria ac naturalis; proindeque dici recte non potest, quod intellectus dominium ullum exerceat, dum Filius per illum a Patre producitur. Quo autem in sensu Dei Filius voluntarie genitus dici possit; infra videbitur.

Denique Scotistæ non pro principio *quod*, sed pro principio *quo* actionis voluntatem assignant: unde non oportet, quod voluntas ad Spiritum Sanctum referatur, aut sit realiter ab illo distincta; uti satis superque patet ex iis, quæ in c. 2. hujusce libri notata sunt.

C A P U T V.

An Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat.

DE celebri hic controversia disputamus, cujus causa Græci a Latinis diro jamdudum schismate separantur: illorum namque complures affirmant, Spiritum Sanctum non a Filio etiam, sed tantum a Patre procedere.

Discrepant Theologi in assignando hujusce hæresis auctore; id tamen certissimum est, quod Photius Constantinopolitanæ Sedis invasor circa annum 863. processionem Spiritus Sancti a solo Patre, ingenti audacia ac contentione defenderit, eodemque errore magnam Græcorum partem infecerit. Extunc Græci cum Latinis aperte hoc super dogmate decertarunt; & licet pluries inter utrosque inita sit concordia, pluries tamen Græci in eandem hæresim impegerunt.

Hinc anno 1097. sub Urbano II. Barense Concilium coactum est, in quo S. Anselmus Cantuariensis Episcopus Catholicam fidem contra Græcos egregie vindicavit. Deinde etiam in IV. Synodo Lateranensi sub Innocentio III. ad communionem Romanæ Ecclesiæ redierunt: at rupto iterum fœdere antiquum adoptarunt errorem. Annitente postmodum Michaele Paleologo Orientis Imperatore Gregorius X. anno 1274. Græcos ad Orthodoxam fidem in Lugdunensi II. Concilio revocavit; non tamen diu

post

post error iterum, & schisma revixit.

In Florentina denique Generali Synodo anno 1439. Græci Patres qui aderant omnes, excepto dumtaxat Marco Ephesiorum Episcopo, Catholicum dogma solemniter professi sunt; & licet Marci opera non pauci ex Græcis relapsi fuerint in errorem; ea tamen quæ hac in Synodo sancita fuerunt, nulla publica fidei confessione aut violata deinceps sunt, aut ullatenus immutata. Unde non immerito dicitur, quod præfatus error non Græcam deturpet Ecclesiam, sed nonnullos dumtaxat Græcos inficiat; sunt enim ex Græcis alii plures, qui cum Romanis in rectæ fidei professione consentiunt. His autem breviter enarratis, sit

Propositio. Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedit.

Probatur 1. ex Scripturis. Spiritus Sanctus a Filio mittitur: atqui divina Persona mitti non potest nisi ab ea, a qua procedit: procedit igitur Spiritus Sanctus a Filio. Probatur major ex Christi verbis Joan. c. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Et c. 16. v. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Probatur minor. Divinæ siquidem missiones non secundum imperium, vel consilium fiunt, uti accidit in creatis; sed emanationem, & originem unius Personæ ab alia præsupponunt; ut infra clarius ostendetur: hinc Filius a Patre missus dicitur, a quo procedit; & Pater qui non procedit ab alio, ab alio mitti non dicitur. Lege Athanasium in epistola ad Serapionem, & Augustinum in lib. 4. de Trin. c. 19.

N 2 Res-

Respondent Græci, citatis in textibus Spiritus Sancti nomine non ipsam intelligendam esse Personam, sed gratiam ejus, & dona, quæ per appropriationem Spiritui Sancto tribuuntur.

At Spiritus quem Christus missurum se esse spopondit, est ille *qui a Patre procedit*: Spiritus *qui a Patre procedit*, ut ipsi Græci fatentur, est divina Persona: ergo divina Persona est Spiritus quem Christus missurum se esse spopondit. Ad hæc accedit, quod Spiritus missus a Filio testimonium de illo perhibuit, alterius Paracliti munus exercuit, mundum arguit, omnem docuit veritatem, & alia præstitit, quæ non nisi veræ possunt convenire Personæ. Lege præcedentis libri c. 13.

Deinde Joan. c. 16. v. 14. de eodem Spiritu inquit Christus: *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Ex quo textu ita argumentatur S. Bonaventura in 1. d. 11. a. unico q. 1. „ Quisquis est omne quod habet, est omne quod accipit: sed Spiritus Sanctus cum sit Deus summe simplex, est omne quod habet: ergo est omne quod accipit: ergo si accipit aliquid ab aliquo, accipit esse: sed a quo accipit esse, ab illo procedit: ergo si aliquid accipit a Filio, procedit a Filio.

Hoc ipsum confirmatur ex eo quod Christus addit v. 15. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Quasi aperte diceret: Quia omnia quæ habet Pater, & ego similiter habeo, una tantum excepta paternitatis relatione; ideo sicuti Spiritus Sanctus a Patre, ita & a me audit, accipit, & procedit.

Le-

Lege S. Anselmum in lib. de processf. Spiritus Sancti c. 7. & Eugenium IV. in literis unionis.

Respondent Græci, quod Christus non dixerit, *De me*, sed *de meo*; id est, *de Patre meo accipiet*: unde non sequitur, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio.

Sed illud *de meo*, uti ex contextu liquet, idem denotat ac *de mea scientia*, quam Spiritus Sanctus a Filio accipit, & per quam nobis annunciat, & docet nos omnem veritatem. Ergo cum in Deo scientia a substantia distincta non sit: si Spiritus Sanctus a Filio scientiam accipit, accipit & essentiam. Quapropter Didymus in lib. 2. de Spiritu Sancto hunc Joannis textum expendens ait: *Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur a Patre: neque alia substantia est Spiritus Sancti, præter id quod datur ei a Filio.* Denique ratio quam Christus reddit, cur *de suo* Spiritus accipiat, est quia omnia quæcunque habet Pater, sua sunt: ergo idem est *de meo*, ac *de me*; sicuti expresse legitur in Versione Persica ac Syriaca.

Tandem Spiritus Sanctus in Scripturis Spiritus Filii nominatur: Act. c. 16. v. 7. *Non permisit eos Spiritus Jesu*. Rom. 8. v. 9. *Si quis autem Spiritum Christi non habet*. Galatarum 4. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui*. Modo Spiritus Sanctus dici non potest Spiritus Filii ex eo tantum, quod illi sit consubstantialis, alioquin ob eandem rationem Filius dici posset Spiritus Sancti: ergo Spiritus Sanctus Filii dicitur, quia ab illo essentiam accipit, & procedit. Nam & processio Filii a Patre notatur, dum dicitur Filius, Verbum, imago, sapien-

tia Patris; ostenditur etiam, Spiritum Sanctum a Patre procedere, dum Spiritus Patris appellatur: ergo cum Spiritus Sanctus Patris, Filiique dicatur, credendum est, quod procedat pariter ab utroque. Lege Seraphicum Doctorem in loco superius laudato.

Probatur 2. ex Patribus Græcis. Epiphanius in Ancorato n. 67. inquit: *Jam vero cum Christus a Patre profectus, Deus videlicet a Deo credatur: & Dei Spiritus a Christo, utpote qui ab utroque procedit: id quod Christus ipse testatur:* Qui a Patre procedit, *inquit*, Et, hic de meo accipiet.

Cyrillus Alex. in Joelem c. 2. ait, *Et ex Deo quidem secundum naturam Filius (genitus est enim ex Deo, & ex Patre). Proprius autem ipsius, & in ipso, & ex ipso Spiritus est.* Et in lib. 14. Thesauri conceptis verbis affirmat, quod Spiritus Sanctus *procedit ex Patre & Filio.*

Basilius in lib. 3. contra Eunomium scribit: *Ab ipso habens esse, & ab ipso accipiens, & annuntians nobis, & omnino ex illa causa pendens.* Hunc Basilii textum genuinum esse adversus Marcum Ephesium defendit Joannes Theologus in Synodo Florentina; legebatur enim in vetustissimo ac optimæ notæ Codice, qui longe ante fuerat conscriptus, quam quæstio de processione Spiritus Sancti a Filio fuisset exorta. Sed & Joannes Beccus, & Manuel Calecas, aliique locum illum eodem modo verterunt.

Gregorius Nyssenus hom. 3. super *Pater noster* ait: *Ex Filio procedit, quia proprius ejus est, quemadmodum & Patris.* Hoc ipsum denique dogma fatentur quicunque Græci Patres

Fi-

Filium dixerunt, *Fontem Spiritus Sancti*, quatenus nempe hic ab illo suam deducit originem: Lege Athanasium in Orat. de Incarnatione, & Basilium in lib. 2. contra Eunomium, Epiphanium hæresi 96. , & Cyrillum Alexandrinum in expositione Symboli Nicæni.

Probatur 3. ex Patribus Latinis, qui ea floruerunt ætate, qua Occidentales a Græcis tanquam veri Catholici censebantur, & quos etiam Œcumenicæ Græcorum Synodi summis laudibus exornarunt. Ambrosius itaque in lib. 1. de Spiritu Sancto c. 11. n. 120. inquit: *Spiritus quoque Sanctus, cum procedat a Patre, & Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio.*

Augustinus tract. 99. in Joan. ait: *Cur ergo non credemus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?*

Leo Magnus in epist. 93. scribit, *alium esse qui genuit, alium qui genitus est, alium qui ab utroque procedit*. Laudatis Patribus alii omnes jungendi sunt, ac præsertim Hilarius in lib. 2. de Trin., Gregorius M. lib. 2. dialogorum c. ult., Fulgentius libro de fide ad Petrum c. 1. At res adeo clara est, Latinos Patres hanc semper docuisse sententiam, ut nec ipsi Græci ausi unquam fuerint id in dubium revocare.

Probatur 4. ex theologica ratione. Spiritus Sanctus procedit a Patre: ergo procedit etiam a Filio. Quidquid enim uni divinæ Personæ competit, competit & alteri, nisi personali ejus proprietati repugnet: atqui Filio non repugnat, quod Spiritus Sanctus ab ipso procedat, sicuti fatentibus Græcis procedit a Patre. Prima namque Patris operatio est generatio Filii; natu-

ralia enim priora sunt liberis ; modo *Verbum procedit per modum naturæ, sed Spiritus Sanctus per modum liberalis voluntatis:* inquit S. Bonaventura in 1. d. 12. a. unico q. 4. ubi hac super re fuse differit. Ergo licet dum Filius a Patre gignitur, activam generationem a Patre non accipiat; cum illa Patrem constituat, ac distinguat a Filio; accipit tamen activum spirandi principium in signo priori ad Spiritus Sancti processionem: ergo procedit iste pariter ab utroque.

Accedit & alia ratio, quæ licet non ab omnibus Scholæ Theologis admittatur, affertur tamen ab Angelico Doctore in p. 1. q. 36. a. 2., & a S. Bonaventura in 1. d. 11. a. unico q. 1., ubi ait: „ Omnis distinctio Personarum in di„ vinis attenditur secundum relationem, & ori„ ginem: ergo si Spiritus Sanctus non proce„ dit a Filio, nec e converso, nulla est ibi „ origo: ergo nulla est ibi mutua relatio: er„ go nec distinctio.

Hujusce itaque argumenti vis in eo consistit, quod divinæ Personæ non distinguantur ab invicem per absolutum aliquod & essentiale prædicatum; quidquid enim in divinis absolutum est, pertinet ad unitatem essentiæ, quæ Personis omnibus est communis: Personæ igitur solis relationibus distinguuntur: relationes autem non distinguunt in Deo, nisi quatenus secundum originem opponuntur: ergo vel Filius est a Spiritu Sancto, quod nemo unquam rationabiliter affirmabit; vel Spiritus Sanctus est a Filio, & ab illo procedit, uti Romana confitetur Ecclesia. Sed de hoc argumento infra prolixius differemus.

Objicies 1. Docet Scriptura, quod Spiritus San-

Sanctus a Patre procedat; nullibi vero indicat, quod procedat a Filio: ergo ex constanti Scripturæ silentio sequitur, quod procedat tantum a Patre.

Resp. 1., quod præter Scripturam alia sit fidei nostræ regula, Patrum nempe traditio, quæ Catholicum dogma firmiter asseruit: unde Josephus Patriarcha Constantinop. in Florentina Synodo inquiebat: *Quoniam Sanctorum Patrum Occidentalium & Orientalium dicta audivimus, Occidentales suscipimus asserentes, Spiritum Sanctum esse ex Patre, & Filio.*

2. Etsi conceptis verbis Scriptura non dicat: *Spiritus Sanctus procedit a Filio;* perspicue tamen hujusce propositionis sensum exponit, dum docet, quod Spiritus Sanctus a Filio mittatur, accipiat, audiat &c., quæ uti supra ostendimus, vera non essent, nisi ab illo procederet.

Quærentibus autem Græcis, cur Christus dixerit, quod Spiritus Sanctus *a Patre procedit*, quin adderet, & *a Filio;* respondemus cum S. Augustino tract. 99. in Joan. *Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est? Unde est illud quod ait:* Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. *Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est & de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit?* Tali ergo loquendi modo Christus ostendit, Patrem esse fontem & originem aliarum Personarum; sicuti dum alibi dicit, quod a seipso non loquatur, non agat &c.

Objicies 2. S. Maximus in epist. ad Marinum aperte scribit, *Patres non concedere Filium es-*

esse causam, idest principium Spiritus Sancti. Quod constat etiam ex Auctore libri de divinis nominibus c. 2., ex Athanasio in quæst. de Nat. Dei, & ex Nazianzeno orat. 24. ad Episcopos. Atqui fons & principium Spiritus Sancti Filius dicendus esset, si ille ab isto procederet.

Resp., quod licet solus Pater, quia originem non habet ex alio, fons & principium speciali ratione dicatur; fons enim non aliunde aquam accipit, sed ex sese illam effundit: Filius tamen qui spirandi virtutem accepit a Patre, fons de fonte, & principium de principio a SS. Doctoribus aliquando vocatur, uti in 2. probatione notavimus. Maximus autem laudata in epistola evidenter affirmat, *etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere, & inter se consentire Patrum auctoritates*.

Objicies 3. Joannes Damascenus in lib. 1. de Fide Orthodoxa c. 11. ait: *Spiritum Sanctum & ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum appellamus: At vero eum non esse ex Filio dicimus: sed Filii Spiritum nominamus*. Et c. 13. scribit, quod Spiritus Sanctus non ex Filio, sed per Filium ex Patre procedat. Ergo Spiritus Sanctus juxta Damasceni sententiam ex solo Patre procedit.

Resp., quod nonnulli putaverint, Damasceni auctoritatem hoc in capite recipiendam non esse, cum ipse Græcorum errori consenserit; id autem Damasceno injuriam non afferre, cum ille octavo seculo vixerit, quando non adhuc publice Ecclesia catholicam definiverat veritatem.

Alii vero cum Bessarione in Oratione dogmatica, sive de unione c. 6. respondent, quod Da-

Damascenus propositionem *ex* eo in sensu acceperit, quo primum principium, & prima origo Spiritus Sancti designatur; sicque Spiritus Sanctus a solo Patre procedere dicendus est. Cum vero objecto in loco Damascenus affirmet, Spiritum Sanctum Filii Spiritum nominari; jam non obscure demonstrat, quod Spiritus Sanctus non tantum a Patre procedat; ut in prima probatione superius observavimus. In ejusdem etiam libri c. 13. docet, quod Spiritus Sanctus procedat ex Patre per Filium; modo notat S. Thomas in p. 1. q. 36. a. 3., quod *quia Filius habet a Patre quod ab eo procedat Spiritus Sanctus, potest dici quod Pater per Filium spiret Spiritum Sanctum; vel quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium*. Deinde in citato c. 11. Damascenus Patrem soli comparat, Filium radio, Spiritum Sanctum splendori: ergo sicuti splendor a sole & radio profluit; ita & Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit. Tandem in ejusdem libri c. 9. ait: *Omnia quæ habet Pater, Filii sunt, hoc uno excepto, quod ingenitus non est*. Ergo ex Damasceni mente spirandi virtus non in solo Patre, sed in Filio etiam reperitur.

Objicies 4. Cum Cyrillus Alexandrinus in Anathematismo IX. contra Nestorium affirmasset, *proprium esse Filii Spiritum*; Theodoretus id confutavit, asseruitque, propositionem illam blasphemam & impiam esse, si significet, quod Spiritus Sanctus *ex Filio*, *aut per Filium extantiam habeat*; cum fides adhibenda sit Domino qui dicit: *Spiritus qui ex Patre procedit*.

In epistola etiam ad Monasteria Theodoretus de Cyrillo sic scribit: *Blasphemat & in Spiritum Sanctum, dum non ex Patre solo ipsum*

as-

asserit procedere, juxta Domini vocem, sed ex Filio eundem habere existentiam.

Major vis argumento accedet, si notare voluerimus, quod in Ephesino Concilio lectum fuerit Nestorianum Symbolum a Carisio Presbytero oblatum, in quo Spiritus Sanctus a Filio non procedere dicebatur; lectæ quoque fuerunt Confutationes, quas in Cyrilli Anathematismos Theodoretus ediderat: & tamen neque Concilium, neque Cyrillus hac in re Nestorii, ac Theodoreti sententiam reprobarunt; quod effecissent utique, si credidissent, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere.

Resp. juxta probabiliorem opinionem, quod Theodoretus catholicum dogma non denegat, sed unice Eunomii perstringit errorem, qui ajebat, Spiritum Sanctum consubstantialem Patri, Filioque non esse, sed per Filium, aut ex Filio esse creatum. Hinc in expositione epist. ad Rom. c. 8. hæc ait: Apostolus *Sanctum Spiritum, & Dei appellavit, & Christi; non quod, ut volunt hæretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ: & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam; ejus autem gratia iis qui digni sunt, per Christum suppeditatur.* Quod si Theodoretus affirmat, Spiritum Sanctum Christi Spiritum appellari, ejusque gratiam nobis a Christo donari: ergo censet, quod Spiritus Sanctus a Christo mittatur, & ab illo procedat.

Ex falsa igitur intelligentia Theodoretus sibi visus est in Cyrillo Eunomii hæresim deprehendisse; & ideo in Confutatione Anathematismorum Cyrilli totus est ille, ut Apollinaris & Eunomii execretur errores; & vicissim Cyril-

rillus in suis responsionibus hæresis illius suspicionem conatur avertere.

Ergo non negat Theodoretus, Spiritum Sanctum etiam a Filio in substantiæ unitate procedere, licet ille a Patre tantum, velut a primo Divinitatis fonte, suam derivet originem: & ideo S. Cyrillus, & Ephesina Synodus, quia perspectam habebant Theodoreti sententiam, nihil circa Spiritus Sancti processionem a Filio decernere voluerunt. Ex quo patet etiam, Nestorii Symbolum hoc ex capite non fuisse rejectum, quia recto in sensu poterat exponi, Spiritum Sanctum a Filio non procedere; quatenus nempe non sit ab illo creatus, uti Eunomius, & Macedonius affirmarunt.

Objicies 5. Spiritus Sanctus perfecte ac sufficienter procedit a Patre; ergo non procedit a Filio: alioquin Pater, & Filius essent duo Spiritus Sancti principia, quia duæ essent Personæ, a quibus ille suum esse reciperet: at unius Personæ non potest nisi una esse adæquata processio; alias Spiritus Sanctus esset a seipso divisus.

Resp. ex S. Thoma in p. 1. q. 36. a. 2. ad 6., „ quod per hoc quod Spiritus Sanctus perfecte „ procedit a Patre, non solum non superfluum „ est dicere, quod Spiritus Sanctus procedat „ a Filio, sed omnino necessarium, quia una „ virtus est Patris, & Filii; & quidquid est „ a Patre necesse est esse a Filio, nisi pro„ prietati filiationis repugnet: non enim Filius „ est a seipso, licet sit a Patre.

Sicut ergo licet Spiritus Sanctus perfecte ac sufficienter mittatur a Patre; fatentur tamen Græci, quod etiam mittatur a Filio; & *sicut*, inquit S. Bonaventura in 1. d. 11. a. unico q. 1., *non*

non valet hoc argumentum: Pater creat, & Filius similiter, & Pater est sufficiens in creando; ergo Filius superfluit: quia sunt unum principium in creando; similiter solvendum est in proposito.

Sicut itaque ex eo quod una est mittendi virtus in Patre & Filio, mittente Patre mittit & Filius; & ex eo quod una in tribus Personis est creandi potentia, creante una creant & omnes: ita pariter quia in Patre & Filio una est fæcunditas voluntatis & activa spiratio idcirco oportet, ut Spiritus Sanctus ab utroque procedat.

Ex quo aperte consequitur, quod Pater, & Filius sint unum Spiritus Sancti principium. Probant namque Philosophi, quod ad multiplicationem nominis substantivi non sola multiplicatio Personæ sufficiat, sed formæ etiam multiplicatio requiratur. *Quoniam ergo*, inquit Seraphicus Doctor in loco supra laudato q. 2., *in divinis spiratio non est accidens, sed productio vel relatio, ideo sequitur unitatem subjecti, ut est principium: quare Pater, & Filius, quamvis duæ sint Personæ, tamen sunt principium unum, quia per eandem virtutem spirant, & ideo actus non numeratur in illis, & ideo spirant una spiratione, quamvis sint duo.* Ita pariter unus dicitur Deus, unusque Creator ex eo, quod in tribus Personis una Divinitas est, & una potentia. Eadem quoque scribit Doctor Angelicus in p. 1. q. 36. a. 4. Ergo Spiritus Sanctus non est a seipso divisus; & sicut unum est spirandi principium, ita & una est Spiritus Sancti processio.

At dices. *Activa Spiratio* vel est essentialis proprietas, vel personalis; non essentialis, alio-

lioquin etiam Spiritui Sancto competeret; essentialia namque prædicata sunt in Deo communia. Est igitur proprietas personalis; ergo si spirat Pater, non spirat Filius: personales namque proprietates ad invicem communicari non possunt; alioquin posset & Filio *innascibilitas*, & *paternitas* convenire.

Resp., quod activa spiratio, quia relatio est, dici utcunque potest proprietas personalis, sive personæ, sive potius notio, quæ tamen Personam non constituit, quia Patrem paternitate, & Filium filiatione jam constitutos esse supponit: est igitur notionalis proprietas Patri Filioque communis, sicut utrique communis est fæcunditas voluntatis. Ergo a Patre communicatur Filio activa spiratio, quia hæc filiationi relative non opponitur, ut paternitas; neque notio est, qua prima Trinitatis Persona dignoscitur, uti de ingeniti appellatione inferius hoc in libro dicemus. Filius enim omnia habet quæ sunt in Patre, paternitate dumtaxat excepta.

CA-

CAPUT VI.

An particula Filioque *jure prudenterque Symbolo addita fuerit a Latinis.*

GRæci Schismatici illud etiam in Romana reprehendunt Ecclesia, quod ad prædicandum, ut ajunt, errorem de processione Spiritus Sancti a Filio, particulam *Flioque* Symbolo addendam esse decreverit; cum Synodus Ephesina, & Chalcedonensis id sub gravi pœna vetuerint.

Propositio. Latina Ecclesia particulam *Filioque* Symbolo jure ac prudenter inseruit.

Probatur. Ecclesia a Christo potestatem talem accepit, ut dum novi emergunt errores, Symbolo voces aliquas inserere valeat, quibus Orthodoxa fides manifestius exponatur. Ut igitur contra Græcorum hæresim Catholicum dogma processionis Spiritus Sancti a Filio Romana tueretur Ecclesia, jure prudenterque particulam *Filioque* addendam esse Symbolo definivit. Probatur antecedens. In Symbolo enim ea fidei professio continetur, per quam Ecclesia concreditas sibi oves informat, & ab alienorum, infidelium scilicet & hæreticorum, incursione præmunit.

Et sane Synodus Nicæna, ut adversus Arium fidem de Filii divinitate defenderet, Apostolorum Symbolo vocem *Consubstantialis* adjunxit. Et ut divinitatem Spiritus Sancti adversus Macedonium definirent, Constantinopolitani Pa-

Patres ea symbolo addidere vocabula : *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem* &c. Synodus etiam Chalcedonensis adversus Eutychianam hæresim illud adjecit : *Consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem*. Cum igitur Ecclesia quæ nunc est, eadem auctoritate fruatur, qua priorum temporum fruebatur Ecclesia; cur quod ei tempore Nicæni, Constantinopolitani, & Chalcedonensis Concilii licuit, postmodum non licuit, ut avitam fidem contra schismaticos propugnaret?

Ergo cum ex dictis in superiori capite, orthodoxæ fidei dogma sit., Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere; cumque unius voculæ additamento Græcorum schisma evertatur & hæresis; dicendum profecto est, quod Latina Ecclesia jure ac prudenter Symbolo particulam *Filioque* addendam esse statuerit. Hinc Florentina Synodus in fidei definitione, cui Latini, ac Græci omnes, uno dumtaxat Marco Ephesio refragante, concorditer subscripserunt, postquam processionem Spiritus Sancti a Filio definivit, adjunxit: *Definimus insuper explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam*.

Objicies 1 Concilium Ephesinum III. Generale in parte 1. actione 6. expresse statuit, *alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt*. Atqui in Nicæno Symbolo particula *Filioque* non legitur; dicendum est igitur, quod Latini qui illam addidere, in

Ephesini Concilii statuta deliquerint.

Resp., quod Ephesini Concilii decretum intelligendum sit de fide, quæ Nicænæ Fidei adversatur. In *6.* namque Concilii Actione Charisius duo Symbola Patribus exhibuit; alterum quidem a se confectum & orthodoxum, quod tamen neque Nicænum erat, neque Constant. alterum vero quo Nestoriani utebantur, ut ad ejus normam reciperentur qui ex Gentilitate, vel ex Judaismo, vel ex quacunque hæresi ad Ecclesiam veniebant. Lectis itaque hisce Symbolis Sancta Synodus præfatam edidit definitionem, & non Charisii, sed Nestorii Symbolum Nicænæ Fidei contrarium reprobavit.

Quod si Græci voluerint, laudatis Ephesinæ Synodi verbis additionem omnem fuisse prohibitam, illam etiam, quæ tantum Nicænam Fidem exponeret: erit igitur asserendum, quod Synodus Constan.m quoque Symbolum vetuerit, in quo articulus de divinitate Spiritus Sancti clarius explicatur; atqui Græci Constan.m Symbolum recipiunt, ac commendant; ajuntque, illud in Nicæno Symbolo *virtualiter* contineri, & lecto uno alterum intelligi. Non ergo Ephesina Synodus additionem vetuit, quæ Nicænæ Fidei consona est, sed quæ est illi contraria.

Modo particula *Filioque* in hac altera *a Patre* virtualiter est inclusa; cum in Patre, & Filio una sit spirandi facultas, ut in priori capite dictum est: ergo sicuti Constan.is Patribus ea verba Nicæno Symbolo addere licuit, *ex Patre* procedentem; ita postea licuit Romanæ Ecclesiæ, quæ aliarum Mater est & Magistra, addere Symbolo illud *Filioque*; neque hujuscemodi additio contraria fidei dicenda est, sed explanatio potius illius articuli,

qui

qui jam legebatur in textu.

Tandem etsi Ephesina Synodus interdicere voluisset illam etiam additionem, quæ Nicænam Fidem exponeret; non id vel alteri Generali Synodo, vel Romano Pontifici, sed privatis tantum hominibus vetuisset. *Quia*, inquit hac de re Doctor Seraphicus in 1. d. 11. a. unico q. 1., *Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia, nec interdictum ponere, nec arctare potuit, nec ei præjudicare, nec ligare eam ad aliquid.*

Similia scribit etiam S. Thomas in quæst. 10. de potentia a. 4. ad 13. „ Sicut posterior „ Synodus potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet: ita etiam Romanus Pontifex „ hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate „ sola Synodus congregari potest, & a quo „ sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum a „ Synodo appellatur.

At dices. Ephesina Synodus simplicem etiam fidei expositionem adjungi Nicæno Symbolo prohibuit. Scribit enim S. Cyrillus in epist. ad Acacium Melitenensem Episcopum, quod *Sancta & Œcumenica Synodus, quæ Ephesi convenerat, necessario providit, non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesias Dei inferre, præter eam, quæ jam extabat.*

Et in epist. ad Joannem Antiochenum idem Cyrillus hæc ait: *Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus.*

Vetuit igitur Concilium Ephesinum, ne

quidquam Nicæno Symbolo adderetur, etsi per modum simplicis expositionis : qua etiam ex causa noluit Symbolo inserere vocem *Deiparæ*; quamvis ejuscemodi additio ad refutandam Nestorii hæresim apta videretur & utilis.

Resp., quod Cyrillus id scripserit, ut hæreticorum carperet audaciam. Anastasius enim & Photius qui Nestorii hæresim sectabantur, symbolum Nicænæ & orthodoxæ Fidei contrarium circumferebant; illud igitur cum Synodus Ephesina legisset, opportune prohibuit, ne quisquam privata auctoritate, & hæretica pravitate novas fidei formulas scriberet ac vulgaret, & Nicænam fidem pervertere ac immutare præsumeret. Hinc in epist. ad Acacium Cyrillus adversus eos expresse loquitur, qui *sanctorum Episcoporum Orientalium apologiam non absque amarulentia proscindunt, eandemque .... a Nestorii vocum novitatibus non abhorrere contendunt*. Et in epist. ad Joannem inquit : *Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa sive fidei symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum est*. At sane Nicænum symbolum non concutit qui ei aliquid ad orthodoxæ fidei explicationem adjungit.

Cum autem Nestorii hæresis ex iis quæ in Symbolo jam continebantur, refutari facillime posset ; idcirco vocem illam *Deiparæ* addere, necesse non fuit. Christum enim verum Deum esse, ex articulo illo clare constabat : *Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei... consubstantialem Patri*. Et quod Maria Virgo Christum Deum genuisset, adeoque Deipara esset appellanda, in altero declarabatur articulo: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine &c.* Ceterum si præfatam vocem Ephe-

sina

ſina Synodus Symbolo voluiſſet inſerere, id profecto ei licuiſſet, ut inſerere *homouſion* licuit Nicæno Concilio.

Hic inſuper adnotamus, quod Chalcedonenſis Concilii Patres addere ſymbolo vocem *Deiparam* noluerunt, quamvis in Actione v. id a nonnullis fuerit poſtulatum. Hujuſce vero rei cauſa fuit, quod licet Virgo Maria & *Chriſtipara* ſit, & *Deipara*, cum Chriſtum Deum de Spiritu Sancto genuerit; eam tamen doloſe Neſtorius Chriſtiparam appellabat, ut Dei matrem eſſe negaret; & Eutyches Deiparam dicebat, ut aſſereret, quod ſecundum divinam naturam Chriſtum illa pepererit. Ne igitur una vel altera hæreſis diſſeminandi erroris occaſionem arriperet, Chalcedonenſe Concilium conſulto Virginem Matrem neque Deiparam, neque Chriſtiparam nominavit.

Ex dictis facillime explicantur, quæ ex epiſtola Agathonis Papæ ad Imperatores, & ex epiſtola Vigilii ad Eutychium Patriarcham Conſtan., & ex Actione VII. Septimæ Generalis Synodi opponuntur a Græcis. Vetant enim additionem, quæ adverſari poterat dogmati vel de duplici in Chriſto voluntate, uti Agatho propugnabat, vel de reali corporum reſurrectione, quam Vigilius aſſerebat. Ceterum notat Julius Cardinalis in Seſſ. VII. Concilii Florentini, quod Agatho Symbolum compoſuit, in quo aliqua adduntur Nicæno Symbolo, aliqua etiam adimuntur. Articulus autem de futura reſurrectione jam ſufficienter in Symbolo erat expreſſus. VII. denique Synodus anathemate ferit eos, qui Patrum leges non cuſtodiendo nova dogmata introducunt.

Objicies 2. Leo III. anno 809. additionem

par-

particulæ *Filioque* renuit approbare, quamvis id Legati Synodi Aquisgranensis exposcerent. Imo jussit, ut Symbolum absque hujuscemodi additamento Græce ac Latine in duobus scutis argenteis scriberetur, quæ ad fidei cautionem in Ecclesiis S. Petri, & S. Pauli locari mandavit. Ex ipsius ergo Romani Pontificis judicio patet, particulam *Filioque* merito prudenterque Symbolo additam non fuisse.

Resp., quod licet Leo Spiritum Sanctum a Filio procedere fateretur, uti ex Actis Synodi Aquisgranensis apparet; ita tamen ille se gessit, ut studium custodiendæ antiquitatis ostenderet, & ne privata auctoritate quis Symbolo aliquid addere auderet; præsertim cum Græci non tanta adhuc pertinacia hæreticum vulgassent errorem, quo postmodum increscente, non privatus aliquis, non Provincialis solummodo Synodus, sed Romanus ipse Pontifex, & Florentinum Generale Concilium particulam *Filioque* licite ac rationabiliter Symbolo appositam fuisse decrevit.

Quod si postremo quæsieris, quandonam particula *Filioque* primum inserta Symbolo fuerit; reponemus, quod apud Hispanos vertente seculo VI. obtinuisse additionem illam evincitur ex Concilio Toletano III., quod anno 589. sub Reccaredo Rege celebratum est. A Gallis autem, & Germanis nono inchoante seculo particulam illam fuisse additam, ex Aquisgranensi Concilio constat, de quo superius actum est. Quo demum præcise tempore Romana ac Universalis Ecclesia additamentum illud usu suo probaverit, incertum omnino est, uti patet ex iis quæ de diversis hac super re opinionibus scribunt Tournely, Berti, aliique Cl. Viri, quorum

rum nos veſtigiis inhærentes, nihil temere definire præſumimus; ſed illud unice adnotamus, quod in Lugdunenſi Concilio II. ſub Gregorio X. anno 1274. a Latinis & Græcis additio illa communi calculo recepta fuerit & probata.

CAPUT VII.

Non certis adhuc argumentis oſtenſum eſt, quod ſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, realiter eſſet ab illo diſtinctus.

QUod Spiritus Sanctus reipſa diſtinguatur a Filio, quia ab illo procedit, Catholici omnes unanimi conſenſione fatentur: nunc vero ad excolenda Juvenum noſtrorum ingenia quærimus, an realis adhuc diſtinctio inter utrumque perſiſteret, etiamſi per hypotheſim impoſſibilem Filius non ſpiraret. Affirmativam ſententiam ingenti conatu Scotiſtæ defendunt; Thomiſtæ autem, plureſque alii paſſim oppoſitum arbitrantur. Nos dum utriuſque partis argumenta perpendimus, pro ingenii noſtri tarditate notavimus, quod in ſubtili hac & abſtruſa quæſtione nihil hactenus certum evidenſque vel Scotiſtæ protulerint, vel Thomiſtæ. Hoc autem ut evidenter appareat, præcipua utriuſque opinionis momenta cum difficultati-

 bus,

bus, quas illa pati videntur, in medium breviter proponemus.

Prius tamen advertimus, quod præsens quæstio non prorsus inutilis, & absurda est, uti nonnulli putarunt; suo namque modo conducit, ut declaretur, num unica ratio qua Filius a Spiritu Sancto distinguitur, sit activa spiratio; an vero altera etiam distinctionis illius causa in sola filiatione consistat. Et licet evenire non possit, quod Spiritus Sanctus a Filio non procedat, cum filiatio & activa spiratio ab invicem separari, vel realiter distingui non possint; impossibilitas tamen illa, ut consuetis Scholæ verbis utamur, non intrinseca est, & omnino prima: nam in Filio prius filietas, quam spiratio activa concipitur; diversique sunt insuper istarum relationum objectivi conceptus. Ante enim quodlibet intellectus nostri figmentum spiratio activa in Patre, & Filio est; filiatio autem soli Filio competit: tum filiatio est terminus activæ generationis; at hujusmodi non est activa spiratio, quæ non ad Patrem, non ad Filium, sed ad Spiritum Sanctum tantummodo *directe* refertur. Ergo duæ istæ relationes inter sese *ex ipsa rei natura formaliter* distinguuntur. Hypothesis igitur quæ ponit, Spiritum Sanctum a Filio non procedere, non internam, & omnino primam in conceptu suo contradictionem involvit; adeoque nihil vetat, quin disputationis causa a Scholasticis admittatur.

Sed potiora Scotistarum argumenta breviter adducamus. Ajunt itaque illi primo, quod Patres duplicem rationem assignent, qua Spiritus Sanctus a Filio realiter sit distinctus: altera quidem ex eo petitur, quod Spiritus Sanctus pro-

procedit a Filio ; altera autem ex eo , quod Filius nascendo , & Spiritus Sanctus procedendo suam derivant originem. Hinc Augustinus in lib. 5. de Trin. c. 14. proferens rationem , *cur non sit Filius etiam Spiritus Sanctus*; hæc habet: *Exit enim non quomodo natus, sed quomodo datus ; & ideo non dicitur Filius , quia nec natus est, sicut Unigenitus.*

Et Gregorius Nyssenus, quem laudat Bessarion in Oratione pro Unione , libro 1. in Evangelia nondum latine edito, de Spiritu Sancto inquit , quod *distinguitur sua proprietate , quæ est quod nec Unigenitus ex Patre productus est, & quod per ipsum Filius sit manifestus.*

Anselmus denique in libro de processione Spiritus Sancti c. 2. ait: *Filius autem, ut interim aliam causam dicam quoniam nondum constat , quod Spiritus Sanctus de illo sit & procedat ; ideo non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Filius: quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus Sanctus vero non nascendo , sed procedendo.* Ergo licet per impossibile Spiritus Sanctus a Filio non procederet , adhuc alia Filii , alia Spiritus Sancti esset Persona , eo quod adhuc in eis diversa nativitatis , & processionis ratio remaneret.

Reponunt autem Thomistæ, quod unica tantum ratio a Patribus afferatur, ut doceant, Spiritum Sanctum a Filio realiter esse distinctum; relationis scilicet oppositio, quæ ex eo descendit, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio. Unde dum Patres asserunt , Spiritum Sanctum non esse Filium , quia diversam habent originem ; hic nempe nascendo , ille autem procedendo ; Patrum mens ita exponitur ab Angelico Doctore in p. 1. q. 36. a. 2. ad 7., quod *ipsa dis-*

differentia originis est per hoc, quod Filius est solum a Patre, Spiritus Sanctus vero a Patre & Filio; non enim aliter processiones distinguerentur.

Juxta igitur S. Thomæ doctrinam, ratio cur Filius nascatur, & Spiritus Sanctus procedat, in hac altera ratione continetur, & ab ea, veluti consequens ab antecedente, descendit, quia videlicet Filius a solo Patre, Spiritus vero Sanctus a Patre Filioque procedit; ita nimirum ut hac ratione sublata, non amplius prior ratio illa subsisteret. Hinc in conclusione citati articuli scribit S. Doctor, „ quod solum relatio„ nibus divinæ Personæ ab invicem distinguan„ tur. Relationes autem Personas distinguere „ non possunt, nisi secundum quod sunt oppo„ sitæ: quod ex hoc patet, quia Pater habet „ duas relationes, quarum una refertur ad Fi„ lium, & alia ad Spiritum Sanctum: quæ ta„ men quia non sunt oppositæ, non consti„ tuunt duas Personas, sed ad unam tantum „ Personam Patris pertinent. Si ergo in Filio „ & Spiritu Sancto non esset invenire nisi „ duas relationes, quibus uterque refertur ad „ Patrem, illæ relationes non essent ad invi„ cem oppositæ; sicut neque duæ relationes, „ quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut „ Persona Patris est una; ita sequeretur, quod „ Persona Filii & Spiritus Sancti esset una, „ habens duas relationes oppositas duabus rela„ tionibus Patris... Oportet ergo, quod Fi„ lius, & Spiritus Sanctus ad invicem referan„ tur oppositis relationibus. Non autem pos„ sunt esse in divinis aliæ relationes oppositæ, „ nisi relationes originis .... Oppositæ autem „ relationes originis accipiuntur secundum *prin-*

„ *cipium*, & secundum *quod est a principio*.

Neque objecta Patrum testimonia demonstrant oppositum. Nam Augustinus de salebrosa quæstione non agit, sed id unice docet, quod reipsa contingit; Filium nempe a solo Patre nasci, Spiritum vero Sanctum a Patre & Filio dari, tanquam ab uno principio. Lege c. 15. & 16. Ex quo sane non sequitur, quod si per impossibile Spiritus Sanctus a solo Patre daretur, realiter adhuc esset a Filio distinguendus.

Nyssenus item de hypothetica quæstione non disserit; neque ex adductis verbis evinci potest, quod duæ illæ distinctionis causæ penitus sint diversæ; ita nempe ut aliud omnino significet, uti Unigenitum non produci; aliud autem, a Filio procedere; proindeque concludi inde non potest, quod remota secunda causa, & stante tantummodo prima, adhuc Spiritus Sanctus realiter distingueretur a Filio. Dici namque non male poterit, quod idcirco Spiritus Sanctus, ut Unigenitus ex Patre productus non sit, quia ab utroque procedit; ita nimirum ut ipsa differentia originis Filium faciat ex solo Patre procedere, Spiritum vero Sanctum ex Patre simul & Filio.

Ad Anselmi auctoritatem respondet S. Thomas in q. 10. de potentia a. 5. ad 2., „quod dicit Anselmus, quod Filius & Spiritus Sanctus per hoc solum ad invicem distinguuntur, quod diverso modo procedunt, est omnino verum. Sed sicut ostensum est, diverso modo procedere non possent, nisi Spiritus Sanctus a Filio esset. Unde remoto, quod Spiritus Sanctus sit a Filio, omnino distinctio Spiritus Sancti removetur. Est autem intentio Anselmi lib. de process. Spiritus Sancti

„ cti

„ cti prius ponere ea, in quibus nos conveni-
„ mus cum negantibus Spiritum Sanctum a Fi-
„ lio esse, qui tamen Spiritum Sanctum a Fi-
„ lio dicunt distingui. Unde verba prædicta
„ Anselmi inducta sunt magis, ut disputativa
„ suppositio, quam veritatis definitio.

Et sane in fine 1. capitis ait Anselmus: *Græcorum fide, atque his, quæ credunt, indubitanter & confidenter, pro certissimis ad reprobandum quod non credunt, utar*. Item caput 2. ex quo adducta in argumento verba deprompta sunt, hunc habet titulum: *Communia Latinis & Græcis quoad fidem de Trinitate*. Cum itaque Græci Filium nasci, & Spiritum Sanctum procedere faterentur, negarent autem hunc ab illo procedere; ita ex admisso principio argumentatur Anselmus: Per vos, o Græci, idcirco Filius & Spiritus Sanctus ab invicem distinguuntur, quia ille nascitur, iste procedit: atqui diversitas nativitatem inter & processionem in Trinitate non esset, nisi Spiritus Sanctus produceretur a Filio: nam uti in 2. c. ait, *ipsa diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem: & quando substantia babet esse de substantia, fiunt ibi relationes insociabiles*......

Sed in IV. etiam cap. videtur Anselmus Thomistarum favere sententiæ, dum scribit: *Omnimoda igitur, & inexpugnabili necessitate concluditur, quia si vera sunt, quæ supra dixi nos pariter cum Græcis credere; aut Filius est de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio*. Lege cap. 3. 5. 25. &c.

Non ergo Anselmus tam aperte asseruit, quod Spiritus Sanctus realiter distingueretur a Filio, etiamsi ab illo non procederet; ut nonnulli Scoti-

tistæ audentius affirmarunt. Hinc Subtilissimi Doctoris nostri prudentiam summopere commendamus ex eo, quod in 1. d. 11. q. 2. sic ait: *Auctoritas adducitur Anselmi libro suo de processione Spiritus Sancti; sed quia ipsum adducit uterque pro se, & fit altercatio magna de intentione ejus, quæ fuerit; ideo hic nolo multum circa intentionem ejus immorari.*

Tandem occurrere argumento paulo aliter quis posset ajendo, aliud quidem esse, quod Spiritus Sanctus procedat a Filio; aliud autem, quod ille ex voluntate procedat, *ut datus*: nam etsi Filius a Patre spirandi principium non haberet, posset tamen Spiritus Sanctus ex voluntate fæcunda produci, quæ in solo Patre tunc esset; adeoque Filium inter & Spiritum Sanctum discrimen aliquod haberetur ex eo, quod ille ex intellectu, iste ex voluntate prodiret. At inde concludi recte non potest, quod in concepta hypothesi Filius & Spiritus Sanctus duæ res essent, duæque Personæ; cum affirmare quis posset, quod *filietas*, & *passiva spiratio*, veluti duæ formalitates, duoque objectivi conceptus, in unica solum Persona tunc essent; nempe quemadmodum in Patre duæ essent formalitates, *paternitas* scilicet, & *spiratio activa*, si Spiritus Sanctus a solo Patre procederet; ita pariter in eadem hypothesi *filietas*, & *passiva spiratio*, tanquam duæ formalitates, simul invicem in Filio jungerentur.

At insistunt Scotistæ. Filius in ratione Personæ non per activam spirationem constituitur, hæc enim Patri, & Filio communis est; proindeque sicuti Patrem in ratione Personæ illa non constituit, ita neq; constituit Filium. Paternitas ergo Patrem, & filiatio Filium primo constituit; ergo & ista Fi-

Filium a quocunque aiio, & etiam a Spiritu Sancto, primo distinguit; idem enim est principium constitutivum, ac distinctivum: ergo etsi Filius non spiraret, adhuc realiter esset a Spiritu Sancto distinctus.

Sed licet certum sit, Filium esse Filium, atque ita vocari, quia filiationem habet; est tamen incertum, an ille in ratione Personæ incommunicabilis Spiritui Sancto per solam filiationis relationem constituitur; ita videlicet ut activa spiratione remota, Filiatio & spiratio passiva uni eidemque Personæ convenire non posset. Quamvis enim quia mutari nequeunt essentiales & objectivi rerum conceptus, filiatio & spiratio passiva in hypothesi de qua loquimur, inter sese formaliter distingui deberent; quia illa ex intellectu & naturaliter, ista ex voluntate & libere procederet; quia tamen inter ejuscemodi relationes nulla prorsus originis oppositio versaretur, fortasse dici recte potest, quod tunc una eademque Persona genita simul esset & spirata; sicut una etiam eademque Persona simul generans esset, & spirans.

Neque dictis obstat effatum illud: *Idem est principium constitutivum ac distinctivum*. Principium namque quod constituit, ab aliquibus realiter, ab aliquibus vero tantum formaliter distinguit. *Aseitas* quæ Deum constituit, illum realiter a creatura distinguit, a prædicatis autem quæ in Deo sunt, tantum formaliter. Ita quoque paternitas Patrem constituit, illumque realiter distinguit, non ab activa spiratione, non ab Essentia, sed a Filio ad quem refertur, & a quacunque alia re, vel Persona, quæ Pater non est. Ergo similiter si Filius non spiraret, per filiationem ille realiter distinguere-

retur a Patre, quem relative respiceret, & a rebus aliis, quibuscum eandem essentiam & existentiam non haberet; dumtaxat vero formaliter a passiva spiratione, cui per relationem originis non esset opposita. Prius ergo Scotistæ probare deberent, quod Filius & Spiritus Sanctus in ea hypothesi duæ adhuc essent Personæ, & quod in una Persona filiatio, & spiratio passiva componi non possint; ut inde concluderent, filiationem ex sese Filium a Spiritu Sancto realiter distinguere, ita quod activa spiratione remota, altera adhuc distinctionis illius causa non deesset.

Urgent ulterius Scotistæ. Activa spiratio Patri, & Filio est communis; sola autem filiatio est personalis Filii proprietas: ergo per hanc solam ille nedum a Patre, sed & a Spiritu Sancto realiter est distinctus. Quod si Filiatio per seipsam passivæ spirationi nunc etiam non esset opposita; jam illæ relationes in una Persona nunc etiam jungerentur; sicuti quia paternitas activæ spirationi non opponitur, in una Patris Persona invicem uniuntur.

Sed Thomistæ respondent negando consequentiam, cum tantum ex antecedente sequatur, quod in admissa hypothesi spiratio passiva non esset proprietas personalis, sive constitutiva Personæ; sed esset proprietas Personam jam *filietate* constitutam afficiens; sicuti nempe respectu Patris se habet activa spiratio. Non autem ex argumento probatur, quod filiatio per seipsam ratio sit, cur Filius nedum a Patre quem directe respicit, sed & a Spiritu Sancto, quem respicit tantummodo disparate, realiter sit distinctus. Nunc vero filietas, idcirco cum passiva spiratione non jungitur, quia cum activa spi-

spiratione, quæ ad Spiritum Sanctum directe refertur, est realiter identificata; quapropter etsi non per seipsam & immediate, mediate tamen habet directam oppositionem cum passiva spiratione: & ut ait S. Thomas q. 10. de potentia a. 5. ad 13., *licet filiatio non opponatur relative processioni, tamen procedens opponitur relative Filio;* quia nempe a Filio qui ea relatione constituitur, Spiritus Sanctus procedit.

Ex quo vero paternitas non est identificata realiter cum relatione aliqua, quæ immediate & directe activæ spirationi opponatur; idcirco inter se paternitas & activa spiratio nullum oppositionis genus habent, & simul in Patre junguntur.

At pergunt Scotistæ. Si Spiritus Sanctus a Filio tantum, & non a Patre procederet; adhuc iste per paternitatem nedum a Filio, sed & a Spiritu Sancto realiter esset distinctus: alioquin Spiritus Sanctus esset Pater, & a Filio produci non posset, secus ac admittit hypothesis. Ergo a pari si a Patre, & non a Filio Spiritus Sanctus procederet, adhuc iste realiter distingueretur a Filio.

Verum respondere poterunt Thomistæ, quod ex primo mentis conceptu repugnet, Spiritum Sanctum a Filio procedere, quin procedat a Patre: nam ex eo quod Filius a Patre gignitur, necessario sequitur, quod omne quod ille habet & est, a Patre accipiat; hoc enim notio divinæ generationis includit. Non ergo potest in Filio activa spiratio reperiri, quin illam a Patre recipiat; ita nempe ut uterque necessario spiret, cum activa spiratio non sit terminus paternitati oppositus; cujusmodi est filiatio, quæ idcirco tantum in Filio reperitur.

De-

Deinde quamvis admittatur hypothesis, negari tamen potest, quod Spiritus Sanctus distingueretur a Patre. *Videtur itaque*, scribit Anselmus in lib. de process. Spiritus Sancti c. 5., *quod Spiritus Sanctus non sit per aliud a Patre alius, nisi quia ab illo habet esse quod est: quamvis alio suo modo quam Filius*. Quo etiam pertinere videtur tritum illud Theologorum adagium: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*. Admisso igitur uno impossibili, quod nempe Spiritus Sanctus a Patre non procederet, admittendum esset & aliud, nempe quod in eadem Persona duplex esset formalitas, paternitas scilicet, & passiva spiratio; sicque per paternitatem Patris Persona Filium produceret, & per passivam spirationem, quæ Personæ Patris jam constitutæ juxta permissam hypothesim adveniret, produceretur a Filio.

Denique si Spiritus Sanctus a solo Filio oriretur, mediate saltem oriretur a Patre, qui spirandi virtutem Filio tribueret; & ita inter Patrem, & Spiritum Sanctum mediata saltem originis oppositio versaretur. At si Spiritus Sanctus tantum a Patre procederet, ad productionem ejus Filius nec immediate, nec mediate concurreret; ergo nulla inter utrumque esset originis oppositio; ergo neque ulla realis posset esse distinctio.

Sed progrediuntur Scotistæ. Nequit una eademque Persona duplici adæquata actione produci: atqui generatio passiva, & passiva spiratio si a solo Patre manarent, per duplicem adæquatam rationem ab illo descenderent. Productio namque per intellectum, & productio per voluntatem non una est adæquata produ-

ctio, cum utraque illa facultas producere valeat distinctum terminum infinitum; ergo alia esset Persona quæ ex intellectu, alia quæ ex voluntate procederet: adeoque etsi Spiritus Sanctus non oriretur a Filio, distingueretur ab illo.

Thomistæ tamen respondere poterunt, distinguendo majorem, si actio sit adæquata respectu ad duplicem rem, sive personam, concedo majorem; si adæquata sit tantummodo respectu ad duplicem ejusdem personæ formalitatem, nego majorem: ac similiter distinguo minorem; generatio & spiratio passiva a Patre manarent per duplicem actionem adæquatam relate ad duplicem rem, nego min.; relate ad duplicem formalitatem unius rei ejusdemque personæ, concedo min., & nego consequentiam. Ad probationem minoris distinguo pariter propositionem, productio per intellectum, & productio per voluntatem est duplex productio adæquata, respiciens duplicem formalitatem, concedo; respiciens duplicem personam, iterum distinguo, si in Filio qui intellectu producitur, inveniatur productio per voluntatem, sive activa spiratio, concedo; si non inveniatur, nego.

Igitur actio duplici in sensu dici potest adæquata; nempe vel quia ex sese sufficit ad productionem rei unius ab altera distinctæ, vel quia ex sese sufficit ad productionem alicujus formalitatis: proindeque licet persona, quæ duplicem in se formalitatem includit, produci non possit duplici actione, quæ adæquate duplicem rem, sive personam respicit; produci tamen potest duplici actione, quæ ad duplicem tantummodo formalitatem ejusdem rei, sive per-

personæ refertur. Modo si productio per voluntatem in solo Patre esset, sicut in eo tantum est productio per intellectum; utraque productio esset adæquata respectu ad duplicem formalitatem ejusdem personæ; respectu scilicet ad filietatem, & passivam spirationem, quæ ex dictis in unica Filii Persona invicem unirentur: in divinis enim omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, sive diversitas originis, quæ ex eo descendit, quod una Persona procedat ab altera.

Quod autem nunc productio per intellectum, & productio per voluntatem sit duplex actio adæquata respiciens duplicem rem, sive personam; id inde derivat, quod Filius a Patre procedit, & Spiritus Sanctus procedit ab utroque. In hypothesi vero, quod Filius spirandi principium non haberet, inter ipsum & Spiritum Sanctum relationis oppositio tolleretur; proindeque productio per intellectum, & productio per voluntatem esset duplex productio adæquata, tendens ad duplicem ejusdem Personæ formalitatem: sicuti nempe juxta Scotistarum opinionem productio ex intellectu qui cognoscit, & ex objecto quod cognoscitur, est duplex productio adæquata, non respectu ad duplicem rem, sed ad duplicem dumtaxat formalitatem, quæ in eadem cognitione relucet; & sicut intellectus & voluntas essentialis in Deo, dum sine relationis conditione concipiuntur, sunt duplex *metaphysica radix* duplicis formalitatis, essentialis scilicet & absolutæ intellectionis, ac volitionis ejusdem Dei.

Ex quibus evidenter apparet, quod intellectus, & voluntas notionalis in ea tantum hypothesi distinctum terminum producere possunt,

 quan-

quando Filius est a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre, Filioque producitur.

Huc usque præcipua argumenta produximus, quibus Scotistæ propriam tuentur opinionem, eaque non satis firma esse monstravimus; nunc ergo superest, ut rationes illas ad trutinam evocemus, quas Thomistæ adhibent, ut Scotistarum opinionem exagitent.

Opponunt itaque 1. plura Patrum testimonia quæ demonstrare videntur, quod divinæ Personæ per solam originis relationem realiter distinguantur. Scribit enim Augustinus tract. 39. in Jo: *Hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt*. Quæ verba usurpat Concilium Toletanum XI. in Confessione Fidei.

Item Anselmus in lib. de process. Spiritus Sancti c. 4. ait: *Sic ergo hujus unitatis, & hujus relationis consequentiæ se contemperant; quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis*. Ex quibus profecto verbis, aliisque similibus theologicum illud axioma deductum est: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*.

Denique in Florentino Concilio Sess. 18. Joannes Theologus cum Marco Ephesio disputans, principium istud statuit, tanquam apud Latinos, Græcosque certissimum: *Est vero secundum Doctores tam Græcos, quam Latinos sola relatio, quæ multiplicat Personas in divinis productionibus, quæ vocantur originis; ad quam duo tantum spectant, a quo alius, & qui ab alio ..., & nulla est alia ratio distinctionis in divinis, nisi propter hoc, quod aliqua Persona sit*

sit ab alia. Ergo si Spiritus Sanctus a Filio non procederet, nulla remaneret ratio, qua realiter distingueretur ab illo.

Sed respondent vulgo Scotistæ, ex adductis aliisque hujuscemodi textibus id unice colligi, quod divinæ Personæ per relationes quidem originis realiter sint distinctæ; quæ tamen relationes vel directe oppositæ sint, vel solummodo disparate. Ita Pater a Filio distinguitur per oppositam relationem originis, sicut & vicissim Filius eodem relationis genere a Patre distinguitur; uterque tamen distinguitur a Spiritu Sancto per duplex oppositæ relationis genus, disparate scilicet, & directe. Nam quia in primo suo conceptu Pater per paternitatem constituitur, sicut & Filius per filiationem; uterque per relationes istas, quæ passivam spirationem disparate respiciunt, a Spiritu Sancto distinguitur; per activam vero spirationem, quæ in utroque est, velut per directe oppositam relationem, a Spiritu Sancto realiter est distinctus.

Ergo divinæ Personæ *ad invicem* esse dicuntur, quia sunt relativæ: hoc autem de relationibus tum directe, tum disparate oppositis intelligi potest. Et sane Augustinus, aliique Patres illud *esse ad invicem* quod tribuunt Personis, distinguunt ab *esse ad se*, vel *in se*, quod de absolutis divinæ Essentiæ prædicatis enunciant: ergo *ad invicem* sunt Personæ, quia absolutæ perfectiones non sunt, sed pro sui constitutivo relationes includunt; sive tandem relationes illæ directe, sive disparate dicantur oppositæ: proindeque Scotistæ concludunt, quod ipsorum opinioni nulla Patrum auctoritas adversetur.

Ad hæc adjungi potest ulterius, quod Patres & Concilia id docere voluerint, quod reipsa contingit; reipsa enim secunda Persona est a prima, & tertia a prima & secunda procedit: & ideo illi divinas Personas distingui per relationes originis affirmarunt, ita ut si una ab altera non procederet, non distinguerentur ab invicem. At hoc non ex *formali*, ut inquiunt, & intrinseca consequentia, sed ex *concomitantibus*, & ex reali identitate, quam cum paternitate, & filiatione habet activa spiratio, Scotistæ asserunt provenire. Quod vero spectat ad hypothesim impossibilem, de qua Scholastici disputant, id a Patrum studio omnino fuit alienum.

At instat P. Berti in lib. 8. c. 4. „ Debiliora „ videntur hæc subterfugia. Primo quoniam „ non qualemcunque relationem Concilia & Pa„ tres commemorant, sed relationem opposi„ tionis, sive originis, & hac sola docent in „ Deo numerum insinuari. Deinde quia rela„ tiones *disparatæ*, si a *processione* segregentur, „ non sunt ad invicem. Rursus quia *disparatæ* „ relationes nunc in eadem Persona consistunt, „ in Patre in quo est *paternitas* & *spiratio*, & „ in Filio in quo est *spiratio* & *filietas*. Ut „ ergo sunt modo duæ relationes *disparatæ* in „ eodem principio, propterea quod non op„ ponuntur ad invicem: ita in hypothesi sta„ rent simul in uno termino: eademque Per„ sona esset genita & spirata, quomodo Perso„ na eadem est spirans & generans. Quæ pro„ fecto valent quacunque hypothesi facta. Ad„ de Florentinum Concilium perstringere Græ„ cos, qui negabant procedere Spiritum San„ ctum a Filio: at inepte probaret dari hanc

„ pro-

„ *processionem* ex distinctione Personarum ; si
„ haberi posset absque processione distinctio.

Verum ex dictis Scotistæ reponunt, quod aliud sit; divinas Personas distingui per relationis oppositionem; aliud vero est, distingui illas per relationes tantummodo quæ directe sunt oppositæ. Ad hoc enim ut oppositio relationis habeatur, sat est, quod Personæ per distinctas relationes constituantur, quæ in una eademque Persona inveniri non possunt. Ita Pater per paternitatem primo constituitur, & Filius per filiationem, quæ relationes licet inter se directe sint oppositæ; habent tamen oppositionem aliquam etiam cum Spiritu Sancto, quatenus non possunt simul cum spiratione passiva conjungi. Unde relationes illæ *disparatæ* dicuntur, quia distinctas Personas expostulant: dicuntur *originis*, quia earum quælibet vel originis principium est, vel terminus: dicuntur esse *ad invicem*, quia quæcunque relatio sive directam, sive disparatam oppositionem habeat, non *ad se* enunciatur, velut aliquod absolutum, sed est ordo unius ad aliud: quapropter suo correlativo directe quidem opponitur relatio; alteri vero cuicunque rei opponitur disparate.

Ergo paternitas & activa spiratio quæ reperiuntur in Patre, & eadem spiratio ac filietas quæ sunt in Filio, *disparatæ* relationes poterunt utcunque vocari; at disparate oppositæ dici omnino non possunt. Disparata enim oppositio licet non exigat directam, ac specialem repugnantiam; postulat tamen, ut duæ relationes simul in una Persona esse non possint. Ita respectu ad spirationem passivam se habent paternitas, & filiatio, quarum illa Patrem, ista Filium primario constituit, & ab alia quacun-

que Persona & re, quomodocunque diversa, distinguit.

Neque ex eo quod eadem Persona nunc spirat & generat, sequi potest, quod si Filius non spiraret, eadem Persona esse posset genita & spirata. Non enim repugnat, quod eadem Persona ex fæcunditate intellectus Filium generet, & Spiritum Sanctum ex voluntatis fæcunditate producat. Hinc activa spiratio quæ Patri & Filio competit, non est proprietas personalis; & Pater unica Persona dicitur, quia unicam in se personalem proprietatem includit, paternitatem scilicet. At si eadem Persona genita simul esset & spirata, jam passiva spiratio quæ est incommunicabilis tertiæ Personæ proprietas, inveniretur in Filio, qui sua etiam personali filiationis proprietate constituitur, per quam alteri Personæ communicari non potest: quo nihil absurdius. Neque in principiis tanta requiritur diversitas, quanta reperitur in terminis. Quæ profecto valent quacunque hypothesi facta.

Florentini denique Concilii Patres, aliique Theologi, qui Græcorum errorem efficaci ratione, & ut inquiunt, *a priori* refellere voluerunt, non ex quacunque reali distinctione Spiritum Sanctum a Filio procedere demonstrarunt; sed ex eo quod ille ab isto accipiat, audiat, & mittatur; uti Scripturæ loquuntur: quod Scotistarum sententiam non infringit.

Urget autem Card. Gotti in tract. de Trin. q. 6. dub. 3. §. 1. n. 10. „ Magis disparate se ha„ bent absolutum, & relativum, quam duo „ relativa: sed absolutum, & relativum, quia „ inter illa non est realis origo, realiter iden„ tificantur in Deo; ergo multo magis duæ

„ re-

„ relationes, si inter illas non detur realis op„ positio: non dabitur autem realis oppositio, „ si inter eas non detur realis origo. Alias si „ sola oppositio disparata sufficeret ad distin„ guendum realiter in divinis, fieret, quod re„ lativum deberet realiter distingui ab absolu„ to, paternitas a spiratione activa; & quod „ Spiritus etiamsi nec procederet a Patre, sic„ ut nec a Filio, adhuc realiter distingueretur „ a Patre, cum esse spiritum sit quid dispara„ tum ab esse Patrem, & sic daretur Trinitas „ Personarum absque origine unius ab alia; „ quod Scotistas admissuros fore, non credam.

Sed licet duo relativa secundum nomen, & genericam quandam similitudinis rationem magis inter se convenire videantur, quam absolutum cum relativo conveniat; secundum tamen rei veritatem relationes quæ Personas primo constituunt, primo etiam realiter distinguunt, cum nequeant in eadem Persona conjungi; adeoque hujuscemodi relationes inter se minus identificantur, quam prædicatum absolutum cum quacunque divina relatione. Ex summa enim Dei infinitate ac simplicitate derivat, quod essentialia prædicata a relativis non sint distincta realiter; quamvis quia diversos conceptus objectivos includunt, inter se formaliter distinguantur. Lege libri 2. caput 1. & 2.

Non ergo ob id præcise prædicatum absolutum in Deo cum relativo realiter identificatur, quia inter illa non est realis origo, quæ directam oppositionem inducit; sed quia ob infinitatis rationem, quæ in qualibet absoluta Dei perfectione resplendet, absolutum & relativum nec disparate sibi invicem adversantur; sicuti se habent relationes illæ, quæ in una eademque

Per-

Persona componi non possunt. Hujuscemodi profecto sunt paternitas, & filietas, & passiva spiratio; non vero paternitas & spiratio activa, neque spiratio activa & filietas; uti patet ex dictis.

Quod si Spiritus neque a Filio, neque a Patre procederet, omnino non esset. Cum enim ipse a nulla Persona produceretur, nullamque produceret; nullam pariter Personam relative respiceret: atqui divina Persona non potest nisi relatione constitui: ergo Spiritus Sanctus omnino non esset, si a nullo procederet. Deinde Spiritus Sanctus in suo formali conceptu per passivam spirationem constituitur: at passiva spiratio ex sese ab activa spiratione dimanat: ergo licet Spiritus Sanctus ex suo conceptu non petat, ut ab una vel a duplici Persona spirante procedat, petit tamen, ut procedat ab aliqua; alioquin existentiam non haberet, cum solus Pater existentiæ suæ principium non agnoscat.

Quæ hactenus summatim dicta sunt, nisi quid aperte multumque me fallat, non obscure demonstrant, quod Scotistæ nulla adhuc inconcussa ratione probaverint, Spiritum Sanctum a Filio esse realiter distinguendum, si ab illo non procederet; & quod Thomistæ etiam ad prædictam opinionem refellendam nullum convincens argumentum adduxerint: quapropter cum hac in re ex auctoritate ac ratione nihil evidenter appareat, utriusque patris momenta produximus, nihil interim de obscurissima quæstione definiri volentes; ex eo præsertim quod omnino lateat, an filietas & passiva spiratio ita sint personales Filii & Spiritus Sancti proprietates, ut sublata etiam Spiritus Sancti pro-

ces-

cessione a Filio, adhuc isti passiva spiratio communicari non posset.

CAPUT VIII.

De Divinarum Relationum existentia, numero, ac distinctione.

Cum ex eo quod una Persona procedat ab altera, necessario consequatur, quod illæ sese mutua relatione respiciant; idcirco postquam de divinis processionibus breviter egimus, superest nunc, ut de relationibus etiam disseramus.

Ex Philosophia jam constat, quod relatio ordo sit unius ad aliud; & quod realis altera sit, altera rationis: hæc ab intellectu nostro confingitur, illa vero absque ullo mentis nostræ figmento unum ad aliud ordinat, & realiter existit.

Propositio 1. Sunt in Deo veræ ac reales Personarum relationes.

Probatur. Remota qualibet intellectus operatione est in Deo Trinitas Personarum: atqui si veræ realesque relationes in eo non essent, neque esset Trinitas Personarum: Divinæ namque Personæ non absolutis perfectionibus, sed solis relationibus constituuntur, ac invicem distinguuntur; juxta nempe commune illud effatum: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.*

Hoc ipsum Patres, & Concilia docuerunt. Hinc S. Augustinus tract. 39. in Jo. ait: *Hoc se-*

solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. Concilium etiam Toletanum XI. anno 675. in Confessione Fidei plura huc spectantia docet, ac præsertim inquit, quod *in relativis Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Sanctus Spiritus ad utrumque refertur; quæ cum relative tres Personæ dicantur, una tamen natura per substantiam creditur*. Similia leguntur etiam in Seff. 18. Concilii Florentini.

Accedit denique ratio, quam Angelicus Doctor adducit in p. 1. q. 28. a. 1. „ Cum aliquid „ procedit a principio ejusdem naturæ, necesse est, quod ambo (scilicet procedens, & id „ a quo procedit) in eodem ordine conveniant; „ & sic oportet quod habeant reales respectus „ ad invicem. Cum igitur processiones in divinis sint in identitate naturæ, ut ostensum „ est; necesse est, quod relationes, quæ secundum processiones divinas accipiuntur, sint reales „ lationes reales.

Objicies 1. Relatio non distinguit extrema; sed ea jam distincta supponit: ergo Personarum distinctio non est a relationibus repetenda: ruit ergo præcipuum catholici dogmatis fundamentum.

Resp., distinguo antecedens, relatio creata, concedo; divina, nego anteced. & conseq. Creata relatio cum accidens sit, subjectum suum cui inhærere concipitur, necessario præsupponit; oriturque postquam fundamentum, & terminus jam existunt. At divina relatio non accidentalis est generis; adeoque ipsa est, quæ extrema sive Personas constituit, ac distinguit, cum essentiales & absolutæ perfectiones toti sint Trinitati communes.

Ob-

Objicies 2. Licet Deus sit principium creaturæ, non tamen inde sequitur, quod ad illam reali aliquo ordine referatur: ergo & paternitas, & activa spiratio, quæ relationes principii esse dicuntur, possunt non esse reales; ergo possunt pariter reales non esse filietas quæ ex paternitate, & passiva spiratio quæ ab activa procedit.

Resp. cum S. Thoma citato in loco ad 3., „ quod cum creatura procedat a Deo in diversitate naturæ, Deus est extra ordinem totius „ creaturæ, nec ex ejus natura est ejus habitu- „ do ad creaturas: non enim producit creatu- „ ras ex necessitate suæ naturæ, sed per intel- „ lectum & voluntatem, ut supra dictum est. „ Et ideo in Deo non est realis relatio ad crea- „ turas, sed in creaturis est realis relatio ad „ Deum; quia creaturæ continentur sub ordine „ divino, & in earum natura est, quod de- „ pendeant a Deo. Sed processiones divinæ sunt „ in eadem natura: unde non est similis ratio.

Objicies 3. Relatio dicitur ordo unius ad aliud: atqui in Deo non datur *aliud*: inquit enim Concilium Lateranense IV. c. 2. *Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud*.

Resp. cum S. Bonaventura in 1. d. 9. dub. 1., „ quod quia in Deo est singularis alietas; quia „ alietas est suppositi cum omnimoda unitate „ naturæ: ideo singulari modo oportet expri- „ mi, & quoniam masculinum genus importat „ quandam distinctionem vel discretionem; id- „ eo respicit Personam: sed neutrum, propter „ indistinctionem respicit naturam; & ideo „ *alius* importat alietatem in Persona, *aliud* „ alietatem naturæ; & ideo in divinis non idem „ significant.

Est

Est igitur in Deo ordo Personæ unius ad aliam; adeoque reales etiam sunt relationes, quæ in unitate substantiæ multiplicant Trinitatem. Hoc laudata Synodus evidenter expressit, dum e vestigio addidit; *Sed id quod est Pater, est Filius & Spiritus Sanctus, idem omnino, ut secundum orthodoxam & catholicam fidem, consubstantiales esse credantur.*

Propositio 2. Quatuor sunt in Deo relationes, quæ originis appellantur; paternitas scilicet, filiatio, spiratio activa, & processio, sive passiva spiratio.

Probatur, Tot sunt relationes originis, quot ad processionem unius Personæ ab alia requiruntur: atqui in Deo duæ sunt processiones, quæ quatuor relationes illas exposcunt. Cuilibet enim processioni duplex relatio correspondet; altera quidem Personæ producentis ad productam, & altera Personæ productæ ad producentem. Ita processioni quæ intellectu perficitur, & generatio nuncupatur, correspondet relatio paternitatis in producente principio, & relatio filiationis in termino qui producitur: processioni vero quæ voluntate peragitur, correspondet relatio principii spirantis, quæ spirationis activæ nomine designatur; ex parte autem termini qui procedit, alia relatio correspondet, quam *spirationem passivam* Scholastici nuncuparunt: quatuor ergo sunt relationes originis.

Objicies si quatuor in Deo essent reales relationes, quatuor essent & Personæ; adeoque in Deo quaternitas esset admittenda, non Trinitas. Atqui id orthodoxæ fidei principiis adversatur.

Resp., quod ut alibi sæpe dictum est, activa

va spiratio a paternitate & filiatione realiter non distinguitur; quare Pater, & Filius sunt unum Spiritus Sancti principium. In divinis etiam omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; sicuti profecto activa spiratio ad Patrem, & Filium non refertur. Ergo licet spiratio activa a passiva realiter distinguatur, aliam tamen Personam in Deo non constituit; quia Patri per paternitatem, & Filio per filiationem jam in esse personali constitutis, uti proprietas non constitutiva, advenire concipitur.

Quidam Scholastici præter reales originis relationes admittunt reales alias relationes in Deo, quas identitatis, æqualitatis, & similitudinis passim appellant; cum divinæ Personæ ob unitatem essentiæ, virtutis, ac perfectionis, consubstantiales, æquales, & similes nullo intercedente figmento dicantur.

At divinæ Personæ immediate per seipsas dici possunt sibi perfecte similes, & æquales; cum nulla satis firma ratio suadeat, relationem, prout est *formalis* ordo, sive respectus unius ad aliud, vel in creatis, vel in divinis realem ac positivum præ se ferre conceptum. Ergo si originis relationes exceperis, quæ reales idcirco dicuntur, & quia reales Personas constituunt, & quia reales processiones necessario consequuntur; nihil nos cogit, ut reales relationes alias admittamus.

Quapropter probabilem censemus esse doctrinam, quam tradit S. Thomas in p. 1. q. 42. a. 1. inquiens: „ quod in divinis Personis nihil est „ considerare nisi essentiam, in qua communi„ cant; & relationes, in quibus distinguuntur. „ Æqualitas autem utrumque importat; scili„ cet

„ cet distinctionem Personarum, quia nihil sibi
„ ipsi dicitur æquale ; & unitatem essentiæ ,
„ quia ex hoc Personæ sunt sibi invicem æqua-
„ les , quia sunt unius magnitudinis & essen-
„ tiæ. Manifestum est autem , quod idem ad
„ seipsum non refertur aliqua relatione reali :
„ nec iterum una relatio refertur ad alteram
„ per aliquam aliam relationem : cum enim di-
„ cimus, quod paternitas opponitur filiationi,
„ oppositio non est relatio media inter pater-
„ nitatem, & filiationem, quia utroque modo
„ relatio multiplicaretur in infinitum : & ideo
„ æqualitas & similitudo in divinis Personis
„ non est aliqua realis relatio distincta a rela-
„ tionibus personalibus , sed in suo intellectu
„ includit & relationes distinguentes Personas,
„ & essentiæ unitatem.

Propositio 3. Relationes originis non realiter, sed formaliter ab Essentia distinguuntur.

Hæc assertio quæ quoad primam partem ad Fidem pertinet, probata manet ex iis, quæ in libri 2. cc. 1. & 2. produximus ; ut autem magis magisque firmetur, de ea adhuc aliqua subjungemus.

Objicies 1. Magis differunt prædicatum absolutum & relativum, quam relativum & relativum ; hæc enim ad idem genus pertinent, illa non item. Atqui in Deo prædicatum relativum ab altero relativo realiter est distinctum : ergo absolutum etiam prædicatum , cujus modi est Essentia, a relativo realiter distinguetur.

Resp. , quod prædicatum relativum non opponitur absoluto , sed tantum alteri relativo , ad quod directe refertur : proindeque prædicata relativa a suis correlativis possunt realiter esse distincta ; ab essentia vero aliisque perfectioni-

bus

bus absolutis tantum formaliter distinguuntur: quia licet quomodocunque ad idem prædicamentum, ut ajunt, divinæ relationes spectare dicantur, Pater tamen concipi non potest, nisi concipiatur & Filius realiter ab illo distinctus, sicut etiam Pater & Filius realiter distinguuntur a Spiritu quem producunt. At Essentia non est generans, neque genita, nec procedens; adeoque inter ipsam, & Personas sive relationes nulla realis oppositio vel distinctio intercedit.

Instabis. Scribit Augustinus in lib. 7. de Trin. c. 1. *Omnis res, quæ relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo, sicut homo dominus, & homo servus.* Est igitur in Deo aliquid aliud præter relationes: hoc aliud non nisi Essentia est: Essentia igitur, & relationes inter se realiter distinguuntur.

Resp.; quod ex adductis Augustini verbis ostendi non possit, Dei Essentiam a relationibus realiter esse distinctam: id enim unice docet ille; quod in iis quæ relative dicuntur, non solum inveniatur respectus ad alterum, verum etiam aliquid absolutum: quapropter aliquo semper modo Essentia a relatione distinguitur, vel nempe realiter, uti accidit in creatis, ubi relationes accidentium instar denominant, adveniunt, permutantur; vel dumtaxat formaliter, ut in Deo, cujus Essentia cum simplex actus sit, sibi perfectissima identitate conjungit omnia tum absoluta, tum relativa prædicata quæ continet. Hinc eodem in loco inquit Augustinus: *Pater igitur, & Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia.*

Objicies 2. Idcirco relationes ab Essentia rea-

liter non distinguuntur, quia alias compositionem efficerent: at ratio isthæc nihil evincit; licet enim divinæ Personæ inter se sint distinctæ realiter, nullam tamen inter se faciunt compositionem: ergo.

Resp., quod ut ea quæ sunt distincta, componant, oportet, ut invicem uniantur: quia ergo divinæ Personæ non uniuntur, sed relativa oppositione potius se excludunt, idcirco sine compositione realiter sunt distinctæ. At relationes veluti modi, & attributa cum Essentia copulantur; & idcirco componerent, si ab illa realiter distinguerentur; se enim haberent, ut actus ad potentiam, ut perfectio ad perfectibile, ut forma denique ad subjectum.

Deinde relationes etsi realiter invicem distinguantur, eandem tamen habent essentiam, existentiam, ac perfectionem; & ideo compositionem omnem excludunt, cum compositio diversitatem essentiæ præsupponat. At si relationes etiam ab Essentia essent distinctæ realiter, eandem omnino perfectionem non haberent; proindeque simplices esse non possent.



CA-

CAPUT IX.

An relationes originis formaliter inspectæ perfectionem includant?

PRopositio. Divinæ relationes si in suo objectivo conceptu considerentur, non sunt veræ ac propriæ perfectiones. Ita Scotistæ fere omnes sentiunt cum non paucis Thomistis.

Probatur. Ut in lib. 2. c. 6. dictum est, vera ac proprie sumpta perfectio, quam etiam *simpliciter simplicem* nonnulli Scholastici nuncuparunt, ea est, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa; id est, melior est ipsa, quam forma sibi per contrarietatem opposita; sicuti spiritualitas melior dicitur corporalitate: atqui hujuscemodi non sunt in Deo relationes originis. Si namque paternitas esset vera perfectio, sequeretur, quod in quolibet divino supposito melior illa foret, quam forma cui opponitur, nempe filietas; cumque vicissim ipsa etiam filietas in se veræ perfectionis conceptum includeret, in quolibet divino supposito melior filietas esset, quam paternitas; atque ita paternitas esset simul, & non esset filietate perfectior: quo sane nihil absurdius. Hoc idem de spiratione activa dicendum esset relate ad spirationem passivam, cui contraria est. Non ergo relationes originis, in seipsis inspectæ formaliter, veræ sunt perfectiones.

Deinde si divinæ relationes in seipsis formaliter veram perfectionem includerent, includerent

rent etiam perfectionem non finitam, sed simpliciter infinitam, quæ sola inveniri potest in Deo: atqui si relationes essent infinitæ simpliciter, inter sese realiter distinctæ esse non possent: quod enim intrinsecus infinitum est, saltem realiter omnem continet perfectionem; ergo si relationes originis veræ perfectionis conceptum haberent, invicem saltem realiter identificarentur; sicque Trinitatis mysterium amplius non subsisteret.

Tandem si divinæ relationes in seipsis essent perfectæ formaliter, jam Spiritus Sanctus non esset ita perfectus, ut Pater, & Filius; in Patre enim esset paternitas, & spiratio activa, in Filio etiam esset spiratio activa, & filietas: sola autem passiva spiratio esset in Spiritu Sancto: ergo non amplius in divinis Personis summa ac perfecta inveniretur æqualitas. Igitur dicendum esse videtur, quod relationes originis in suo formali conceptu tantum includant ordinem illum, quo una Persona refertur ad aliam; quin finitæ vel infinitæ, perfectæ vel imperfectæ dicantur. Omnis enim Personarum perfectio non nisi ex Dei essentia, cum qua realiter identificantur emanat; juxta quod scribit Augustinus in lib. 6. de Trin. c. 2. *Filius sicut in seipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem: non sic & in seipso magnus, sed cum Patre.*

Objicies 1. cum Gotti in tract. de Trinitate q. 3. dub. 3. §. 1. n. 3. „ Relatio, ut virtualiter distincta ab essentia, est quid reale positivum in Deo existens; contentum sub ente; ergo ex sua linea est perfectio. Quodcunque enim positivum ens, seu realitas, dum existit, convertitur cum bonitate, & perfectio-

„ ne;

„ ne: bonitas enim est proprietas entis partici-„ pialis, seu existentis, & repugnat dari aliquid „ in rerum natura existens, quod non sit bo-„ num, cum sit objectum voluntatis, quæ non „ potest amare nisi bonum.

Resp., quod licet relatio non virtualiter tantum, sed & formaliter ex ipsa rei natura ab Essentia distinguatur; neque fictitium aliquid sit, sed entis notionem suo modo participet; non tamen est ens in *recto* & *quantum*; res scilicet quod per se existit, & perfectionem in objectivo conceptu concludit; neque est absoluta entitas, sive formalitas; sed est respectus ad aliud, qui quia ad hypostasim pertinet, communicari non potest; & ideo veræ perfectionis rationem in formali suo conceptu non continet; sed identice tantum ipsam divinæ Essentiæ perfectionem, bonitatemque participat, cujus etiam causa existit, & amatur. Ut enim inquit Ven. Scotus in quodlib. 19. a. 2., *entitas hypostatica non est secundum quam aliquid formaliter perficitur, sed secundum quam recipit perfectionem, vel saltem determinatur ad perfectionem receptam.*

Hoc etiam de activa spiratione dictum volumus, quæ licet in Patre reperiatur, & Filio; non tamen illa aliud Personis istis attribuit, quam solam incommunicabilitatis rationem, per quam Pater, & Filius sunt a Spiritu Sancto distincti: ergo activa etiam spiratio licet sit modus aliquis positivus Essentiæ, ac vera formalitas; in suo tamen objectivo conceptu a perfectione, & imperfectione præscindit.

Instabis cum Eodem. „ Imperceptibile videtur, aliquid actu formaliter, & ex proprio „ conceptu esse in Deo, quod ex proprio suo

„ conceptu perfectionem non exprimat. Cum „ ergo in Deo adsit, nedum absolutum, sed „ & relativum, necesse est dicere, etiam rela- „ tivum ex suo genere perfectionem exprimere.

Resp., quod quæ in Deo sunt prædicata, vel in seipsis perfectionem includunt, vel sunt termini perfectionum, quatenus illas incommunicabili subsistentia complent. Summa ergo Dei perfectio ab ipsius Essentia, & absolutis prædicatis emanat; & hæc propter realem identitatem de relationibus etiam enunciatur. Ipsæ vero relationes quamvis non sint in suo formali conceptu finitæ, vel imperfectæ; alioquin identificari realiter cum Deo non possent; infinitæ tamen, & perfectæ non sunt, quia communicari nequeunt, suisque oppositis dici nequeunt meliores.

Objicies 2. cum Gotti, aliisque. Dum Christi humanitas per divini Verbi subsistentiam terminatur, ineffabili modo perficitur: Ergo Verbi subsistentia quæ relatio est, in se formaliter perfectionem includit. Quod etiam demonstratur ex eo, quia Verbi personalitas ex sese munus creatæ personalitatis adimplet: atqui natura creata a propria personalitate perficitur. Ergo.

Resp., quod subsistentia Verbi non quia formaliter perfecta, sed quia incommunicabilis est, humanæ naturæ dependentiam terminat; omnis vero perfectio, quæ in hypostatica unione relucet, ex eo tantum capite profluit, quod Verbi personalitas unam eandemque rem cum divinæ naturæ perfectione constituit.

Creatæ autem personalitatis officium est, naturam reddere alteri supposito non communicatam. At hoc perfectionem nullam inducit; est

enim

enim negatio distincta realiter, & separabilis a natura creata; quæ eo ipso quod Deo communicata non est, dicitur in propria personalitate subsistere. Ergo neque personalitas creata naturam perficit; neque dum Verbi personalitas creatæ naturæ conjungitur, illi ex sese perfectionem attribuit.

Ex dictis apparet, quod licet divinæ personalitates positivum aliquod in suo objectivo conceptu contineant, cum sint negationes inseparabiles, & indistinctæ realiter a natura; quia tamen positiva illa *realitas* est formaliter incommunicabilis, formaliter perfecta esse non potest.

Objicies 3. Perfectio non absolutis tantum rebus, sed & relationibus competit: unde Theologi perfectionem & bonitatem in creaturis agnoscunt, nedum ut illæ absolute subsistunt, sed etiam ut ad invicem ordinantur. Potest ergo divinis relationibus vera etiam perfectio convenire.

Resp. ex dictis, quod divinis relationibus, quia incommunicabiles sunt, perfectionis & bonitatis ratio non conveniat; creatis vero relationibus, si illæ juxta quorundam opinionem sunt reales, perfectio quidem simplex convenit, perfectio vero simpliciter simplex convenire non potest. Accidens enim non est substantia melius, neque in altiori linea collocat subjectum cui inhæret, vel fundamentum quod refert ad terminum: non ergo creata relatio dici potest perfectio simpliciter simplex, sed simplex tantummodo; quia ens est *in recto*; propriam habens essentiam & existentiam, ab extremis reali distinctione ac separabilitate diversam. Ceterum probabilius philosophantur illi,

qui omnem Universi perfectionem in ipsis solum rebus ordinatis, non in invisibili etiam vanoque actuali respectu constituunt.

Objicies 4. Relationes in Deo propriam habent existentiam, quæ ab existentia naturæ distinguitur: sicut enim aliud est esse relativum, aliud esse absolutum; ita etiam alia est existentia relativi, alia absoluti. Atqui existentia actualem perfectionem importat; & in Deo designat perfectam interminabilis vitæ possessionem, ipsam scilicet æternitatem.

Resp., quod existentia competat enti completo, ut inquiunt, quod non ab altero veluti attributum emanat, sed ut perfecta res ex propria ratione subsistit; alioquin tot in Deo existentiæ essent, quot sunt metaphysicæ proprietates, quæ aliquod esse habent, per quod a nihilo distiguuntur. Ne itaque sine causa essendi & existendi multiplex ratio admittatur in Deo, dicendum idcirco est, quod sicuti eandem essentiam, ita & eandem existentiam absolutam tres divinæ Personæ participent.

Objicies 5. Idcirco a Scoto non dicitur, quod relatio sit perfecta formaliter, quia non est melior ipsa, quam non ipsa; alioquin Filio melius esset habere paternitatem, quam non haberet: atqui uti in citato loco n.17. notat Gotti: „ ex „ hoc quod paternitas sit perfectio, melius est „ quidem Deitati, seu Deo illam habere, quam „ non habere, sic ut Deitas non esset omnimode „ perfecta, si illam non haberet: non tamen „ oportet, ut talis perfectio ab omni divina Per„ sona expresse possideatur, sed sufficit, ut ha„ beatur implicite ratione divinæ essentiæ, quæ „ in omnibus Personis est, & in qua omnes „ relativæ perfectiones continentur.

Resp.,

Resp., quod hic non agitur de relationibus, prout illæ ab essentia non sunt distinctæ realiter; quo sane modo quidquid absolutæ perfectionis est in una Persona, totum in altera reperitur. Agimus itaque de relationibus secundum earum objectivum simplicemque conceptum, qui si in seipso esset vera perfectio, non Deo tantum, sed cuilibet etiam divino supposito melius esset paternitatem habere, quam non habere; ita nimirum ut sicuti paternitas, & divina essentia realiter non distinguuntur, ita paternitas & filiatio realiter distingui non possent: eodem nempe modo, qui in intellectu, & voluntate, ceterisque absolutis Dei prædicatis apparet.

Ex eo autem quod Deitas summe perfecta non esset, si paternitatem, & relationes alias non haberet, profecto non sequitur, quod relationes originis formaliter propriam perfectionem includant, sed quod Deitatis perfectionem ostendant; sunt enim termini communicabilitalis, & fæcunditatis essentiæ: quapropter si in Deo illæ non essent, a posteriori, ut inquiunt, sequeretur, quod divina natura communicari non posset, & fæcunditatis perfectione careret. Et hoc in sensu Sancti Ecclesiæ Patres in Personarum Trinitate perfectionem agnoscunt: est enim perfectissima Trinitas, si *in concreto* & identice consideretur; id est, prout illa in eadem perfectissima natura subsistit, cujus ineffabilem fæcunditatum terminat & ostendit.

Ita pariter dum Patres affirmant, nedum Essentiæ unitatem, sed & Trinitatem Personarum a nobis esse adorandam, veluti excellentissimi cultus objectum, non indicant, infinitam in divinis Personis perfectionem inesse, si illæ

tan-

tantum formaliter accipiantur. In objecto enim quod adoratur, distinguendus est terminus adorationis a ratione adorandi : & ratio quidem adorandi est dumtaxat essentia , terminus vero adorationis non tantum essentia est ; sed quodlibet etiam prædicatum , quod rem unam cum illa constituit . Lege Ven. Scotum in 3. d. 9. q. 11.

Ex dictis refutatur altera ejusdem Cl. Viri responsio, quæ communis est apud alios etiam ejusdem sententiæ defensores ; nempe non requiri, quod relativa perfectio sit in quacunque Persona formaliter ; sed sat esse , ut in ea sit æquivalenter : atque ita contingit , ut simul Personarum distinctio ex relationis oppositione descendat, & æqualis perfectio in Personis singulis inveniatur ex eo, quod tanta sit in paternitate perfectio, quanta in filiatione, & spiratione relucet.

Refutatur, inquam, hæc responsio; nam ad rationem infinitæ perfectionis exigitur , quod illa sibi realiter saltem identificet , intimeque conjungat omnem aliam perfectionem simpliciter simplicem, & infinitam . Qui vero respondent, hoc proprium esse non relativæ, sed absolutæ perfectionis; cum quod afferunt, adjuncta ratione non probent, illis assentiri nec possumus, nec debemus. Absolutæ namque perfectiones in Deo reali invicem identitate sunt unum , non quia quomodocunque sunt absolutæ, sed quia simplicissimæ & infinitæ ; secus ac de creaturarum perfectionibus affirmamus. Si igitur relationes in suo conceptu perfectionem involverent, quia infinitæ & simplicissimæ esse deberent, reali identitate invicem unirentur.

CA-

CAPUT X.

Ea explicat, quæ generatim pertinent ad Personas.

PErsona, quod ad præsens attinet institutum, a Boetio sic describitur in libro de duabus naturis : *Est rationalis naturæ individua substantia*. Hanc descriptionem Ven. Scotus in 1. d. 23. q. 1. verbis hisce declarat : *Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*; ita nimirum ut individui nomine non quæcunque singularitas, sed omnimoda incommunicabilitas designetur. Quapropter divina Essentia, quæ singularis & individua est, quia Patri & Filio & Spiritui Sancto communicatur, non est Persona : Sicuti & Christi humanitas, quæ communicatur Verbo, & rationalis anima, quæ ex sese ad informandum corpus inclinat, & partes integrales, uti sunt pes, manus &c. quæ ex suis intrinsecis ordinantur ad totum, & accidentia, quæ requirunt, ut subjectis inhæreant, personæ nomine designari non possunt. Natura etiam quæ perfecte in seipsa subsistit, si intelligendi principio careat, dicitur utique, quod suppositum, subsistentiam, & hypostasim habeat, dici vero non potest, quod sit persona. Lege S. Thomam in p. 1. q. 29. a. 2.

Ergo cum Deus intellectuali natura sit præditus, quæ ut fide docemur, tres habet proprietates, sive incommunicabiles existendi modos, paternitatem scilicet, filiationem, & pas-

si-

sivam spirationem; idcirco recte dicitur, quod tres sint in eo Personæ.

Neque obest, quod in Scripturis Personæ vocabulum non legatur; uti enim hac de re scribit Angelicus Doctor in p. 1. q. 39. a. 3. ad 1. „ id quod nomen significat, multipliciter in „ Sacra Scriptura invenitur assertum de Deo; „ scilicet quod est maxime per se ens, & per- „ fectissime intelligens. Si autem oporteret de „ Deo dici solum illa secundum vocem, quæ „ sacra Scriptura de Deo tradit; sequeretur „ quod nunquam in alia lingua posset aliquis „ loqui de Deo, nisi in illa in qua primo tra- „ dita est Scriptura veteris vel novi Testamen- „ ti. Ad inveniendum autem nova nomina an- „ tiquam fidem de Deo significantia, coegit „ necessitas disputandi cum hæreticis.

Ad designandam etiam Trinitatem recte nomen *hypostasis* adhibetur. Licet enim olim Veteres nonnulli de vera hujusce vocis significatione certaverint; an videlicet usiam, sive essentiam, vel subsistentiam potius, sive personalitatem exprimeret; determinata tamen postmodum vox illa fuit ad relativam subsistentiam denotandam: quo in sensu Concilium Constantinop. 1., & Chalcedonense, & Ephesinum, & Patres denique, ac Theologi quamplures recepto usu nomen illud adhibuerunt. Dissensionis autem origo, quæ aliquando etiam inter Catholicos vehementer exarsit, ex eo repetenda videtur, quod cum hypostasis usiam denotet subsistentem, qui unam in Deo hypostasim affirmabant, usiam & subsistentiam absolutam, quæ ut mox dicemus, non nisi unica est, ea voce denotari putabant: qui vero tres hypostases asserebant, usiam & tres relativas, sive personales

sub-

subsistentias, eo nomine exprimi contenderent: non ergo de dogmate, sed de solo nomine tota lis illa fuit.

Quod vero pertinet ad prædicatum, quo divinæ Personæ in sua formali ratione constituuntur, asserimus, illud non absolutum esse, sed relativum. Sola namque relatio est, quæ numerum in Deo efficit, cum illa sit, quæ Personas sibi invicem incommunicabiles reddit, distinguit, opponit. Unde Augustinus tract. 39. in Jo. ait: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt.* Et Fulgentius in lib. de Trinitate inquit: *Pater non sibi est, sed Filio; Filius non sibi est, sed Patri; Spiritus alicujus est adspirantis; ergo ad Patrem, Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt; essentialia vero nullo modo multiplicantur.* Idem colligitur ex aliis Ecclesiæ Patribus, & ex Concilio Toletano XI. in Confessione Fidei, ex Lateranensi IV. c. 2., ex Florentino in Decreto Fidei &c.

Ex dictis non obscure descendit, in Deo tres esse subsistentias relativas. Personalitas enim est ipsa subsistentia, sive ratio incommunicabilitatis in intelligente natura; si igitur in tribus Personis sunt tres personalitates, tres etiam subsistentiæ sunt admittendæ: atqui absoluta in Deo non multiplicantur: illæ ergo subsistentiæ relativi sunt generis. Unde merito Cyrillus Alex. de Trinitate libro 3. scribit: *Omnis nostræ fidei sermo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentiis proprie subsistit.* Idem docent Athanasius in serm. de Deipara, Ambrosius in Symbolum Apostolorum c. 2., aliique Patres, & Concilia, quæ inter recensenda præcipue sunt, Nicænum I., Constan-

stantinopolitanum I., Lateranense II.

Quærunt Theologi, an præter tres subsistentias relativas, admittendum sit aliud subsistentiæ genus, quod absolutum appellant, & ad ipsam in se Dei essentiam dicitur pertinere. Ad quod nos breviter respondemus, nihil obstare, quominus divina Essentia dicatur absolute subsistere; hoc nempe in sensu, quod alteri non inhæret, & in sua absoluta perfectione est omnino completa, neque ab alio, tanquam a perfectivo, dependet, neque potest in plures veluti partes, & ut inquiunt, inferiora distribui. Huc profecto spectat, quod scribit Augustinus in lib. 7. de Trin. c. 4. *Omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus?* Papa etiam Agatho in Epistola decretali quæ in Act. 4. Sextæ Synodi legitur, ait: *Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum, non tres deos, sed unum Deum; non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam subsistentiam*. Præter igitur tres subsistentias Personarum proprias & relativas admitti potest subsistentia communis & absoluta, quæ pertinet ad Essentiam; quod docere videntur etiam S. Thomas tum alibi, tum in 1. d. 21. q. 2. a. 1., & Ven. Scotus in 1. d. 7. q. 1.

Ex hac autem adsertione non sequitur, quod in Deo sit admittenda quaternitas Personarum: nam Persona id dicitur, quod nedum habet singularem, & completam in esse tantum absoluto naturam, sed quod omnimodam incommunicabilitatem includit; hujuscemodi vero conceptus communi & absolutæ subsistentiæ convenire non potest: per hanc enim licet Dei essentia alieno nequeat communicari supposito, communicari tamen potest tribus suppositis a se-

seipsa realiter indistinctis; adeoque admissa subsistentia absoluta, non est admittenda quaternitas in Personis.

Superest, ut de communibus divinarum Personarum proprietatibus breviter disseramus. Has inter I. occurrit Appropriatio, quæ est modus ille loquendi, quo uni vel alteri Personæ tribuimus absolutum aliquod attributum, ut quoad fieri potest, manifestentur nobis divinæ Personæ. Sicut enim ex creaturis, quæ magis sunt nobis notæ, essentialia attributa cognoscimus; ita ex cognitione essentialium & communium attributorum, quæ nobis magis sunt manifesta, quam propria Personarum, easdem Personas manifestare solemus.

Possunt autem, inquit Doctor Angelicus in p. 1. q. 39. a. 7., *manifestari Personæ divinæ per essentialia attributa dupliciter: uno modo per viam similitudinis; sicut ea quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, ut Verbum*. Ita etiam æternitas Patri appropriatur, quia licet illa commune sit attributum; per quandam tamen similitudinem Patri tribuitur; quia nempe æternitas principio caret, & Pater sine principio in Trinitate subsistit. Hoc etiam modo sapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto appropriantur; quia nempe ille procedit per intellectum, ad quem sapientia spectat; & iste per voluntatum, cujus objectum est bonitas.

Alio modo, subdit ibidem S. Thomas, *per modum dissimilitudinis; sicut potentia appropriatur Patri, ut Augustinus dicit, quia apud nos patres solent esse propter senectutem infirmi; ne tale aliquid suspicemur in Deo*. Ubi notandum, quod unum idemque attributum tum propter similitudinem, tum propter dissimilitudinem pos-

possit divinis Personis appropriari : ita potentia non tantum ex adducta ratione tribuitur Patri, sed etiam ex similitudine ; quia nempe potentia principium est, & Pater non solum cum aliis Personis est principium creaturæ, verum & speciali sua proprietate habet, ut sit principium Personarum. Sic & propter dissimilitudinem sapientia Filio applicatur ; quia inter homines filii ob juvenilem ætatem sapientiæ sunt expertes. Spiritui Sancto etiam appropriatur bonitas, & in operando suavitas, quia creatus Spiritus sæpenumero cum violentia, & furore conjungitur.

Secunda communis proprietas est Æqualitas. Cum enim divinæ Personæ licet in relatione sint plures, unam tamen eandemque essentiam habeant, & attributa, idcirco inter se perfecte dicuntur æquales. Hinc Doctor Angelicus in p. 1. q. 42. a. 1. scribit : *Inæqualium non potest esse una quantitas numero : quantitas autem in divinis non est aliud quam ejus essentia : unde relinquitur, quod si esset aliqua inæqualitas in divinis Personis, non esset in eis una essentia ; & sic non essent tres Personæ unus Deus ; quod est impossibile : oportet igitur æqualitatem ponere in divinis Personis.*

Tertia dicitur Circuminsessio, quam Græci περιχώρησιν appellant, idemque est, ac mutua inhabitatio, & inexistentia unius Personæ in alia, ita ut ab invicem illæ separari non possint. De hac proprietate Christus loquitur, dum Joan. 14. v. 11. ait : *Ego in Patre, & Pater in me est*. Agit hac de re S. Bonaventura in 1. d. 19. p. 1. a. unico q. 4. , ubi notat, quod perfecta circuminsessio est tantum in Deo ; *quia ratio circuminsessionis est perfecta unitas essentiæ cum di-*

distinctione Personarum; *& quoniam hoc est proprium solius Dei*, *ideo & circuminsessio*.

Quarta proprietas est Notio, quæ ex S. Thoma in p. 1. q. 32. a. 3. est *propria ratio cognoscendi divinam Personam*. Sunt itaque notiones, quidam veluti characteres, quibus divinæ Personæ nobis innotescunt; & quinque passim a Theologis numerantur, nempe innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.

Quod autem non sine sufficienti ratione quinarius notionum numerus assignetur, ostendit S. Thomas laudato in loco, ubi ait: „ Divinæ „ Personæ multiplicantur secundum originem: „ ad originem autem pertinet *a quo alius*, & „ *qui ab alio*: & secundum hos duos modos „ potest innotescere Persona. Igitur Persona „ na Patris non potest innotescere per hoc „ quod sit ab alio, sed per hoc quod a nullo „ est: & sic ex hac parte, ejus notio est *in-* „ *nascibilitas*. Sed in quantum aliquis est ab eo, „ innotescit dupliciter: quia in quantum Filius „ est ab eo, innotescit notione *paternitatis*: in „ quantum autem Spiritus Sanctus est ab eo, „ innotescit notione *communis spirationis*. Fi- „ lius autem potest innotescere per hoc quod „ est ab alio, nascendo; & sic innotescit per „ *filiationem*: & per hoc quod est alius ab eo, „ scilicet Spiritus Sanctus; & per hoc innote- „ scit eodem modo sicut & Pater, scilicet *com-* „ *muni spiratione*. Spiritus Sanctus autem in- „ notescere potest per hoc quod est ab alio vel „ ab aliis; & sic innotescit *processione*; non au- „ tem per hoc quod alius sit ab eo, quia nul- „ la divina Persona procedit ab eo. Sunt igi- „ tur quinque notiones in divinis; scilicet *in-*

„ *nascibilitas*, *paternitas*, *filiatio*, *communis spiratio*, *& processio*.

Dices: Si quinque notiones essent in Deo, *quinus* ille rectissime diceretur; sicuti nempe trinus dicitur, quia tres sunt Personæ; & dicitur unus, quia Essentia una est.

Resp. cum S. Thoma in citato loco ad 2., „ quod Essentia in divinis significatur ut res „ quædam; & similiter Personæ significantur ut „ res quædam: sed notiones significantur ut „ rationes notificantes Personas. Et ideo licet „ dicatur Deus unus propter unitatem Essentiæ, „ & trinus propter Trinitatem Personarum; „ non tamen dicitur quinus propter quinque „ notiones.

Quinta demum proprietas est Missio, quæ potest ita describi: Est processio unius Personæ ab alia, quæ per temporalem effectum aliquem declaratur. Ad missionem igitur duo requiruntur, origo scilicet Personæ quæ mittitur, & ejus manifestatio per novum effectum. Et ideo Pater mitti non dicitur, cum ab alio non procedat: unde S. Augustinus in lib. contra sermonem Arianorum c. 4. inquit: *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat. Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem*.

Novus etiam & temporalis effectus ad missionem exigitur; ordinatur enim missio ad aliquid efficiendum, quod ante non erat: quapropter licet quoad divinæ Personæ originem æterna sit missio, quia tamen ad temporalem refertur effectum, idcirco & ipsa dicitur temporalis. Missio enim, ut inquit S. Bonaventura in 1. d. 15. p. 1. a. unico q. 2., *dicit comparationem*

nem non tantum ad principium, nec tantum ad missum, sed etiam ad terminum; sed terminus ille de necessitate creatus est: quia missio in Deo cum non dicat mutationem, dicit aliquam circa terminum operationem, & ita aliquem effectum: & quia omne quod recipit effectum, est creatum, & temporale, ideo missio de necessitate est temporalis.

Ergo Filius a Patre mittitur, a quo æternam accepit originem, quæ tunc manifestata præcipue est, quando pro humani generis reparatione mortalem ille carnem assumpsit. Hinc Jo. 10. v. 36. legitur: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*. Et ad Gal, 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.*

Item Spiritus Sanctus sicuti a Patre Filioque procedit, ita mittitur ab utroque; quando nimirum in tempore aliquis effectus apparet, qui Spiritui Sancto speciali modo tribuitur, ejusdemque præsentiam manifestat: unde Jo. 14. v. 26. ait Christus: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Et c. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis &c.*

At dices. Filius a Spiritu Sancto dicitur missus, licet ab illo non procedat. Isaiæ enim c. 48. v. 16. legitur: *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*: quod testimonium de Spiritu Sancto Filium mittente interpretantur Toletana Synodus XI. in Confessione fidei, Ambrosius in lib. 2. de Spiritu Sancto, aliique. Ergo missio processionem non necessario præsupponit.

Resp. cum S. Thoma in p. 1. q. 43. a. 8., quod missio duo designat, ipsam nempe Personam quæ ab alio existit, & effectum visibilem vel in-

invisibilem, cujus respectu divinæ Personæ missio fieri dicitur: „ Si igitur mittens designetur „ ut principium Personæ quæ mittitur, sic non „ quælibet Persona mittit, sed solum illa cui „ convenit esse principium illius Personæ; & „ sic Filius mittitur tantum a Patre; Spiritus „ Sanctus autem a Patre & Filio. Si vero Persona mittens intelligatur esse principium ef„ fectus, secundum quem attenditur missio; „ sic tota Trinitas mittit Personam missam.

Si ergo quoad externam & temporalem tantummodo actionem, inadæquate missio consideretur; cum in tribus Personis eadem sit essentia, & virtus, toti ex æquo Trinitati convenire dignoscitur: sicque Filius nedum a Spiritu Sancto missus quoad humanam naturam dici potest, verum etiam a seipso. Unde scribit Augustinus in lib. 2. de Trin. c. 5., *illam Incarnationem, & ex Virgine nativitatem, in qua Filius intelligitur missus, una eademque operatione Patris & Filii inseparabiliter esse factam, non utique inde separato Spiritu Sancto*. De hac etiam missione improprie dicta loquitur Concilium Toletanum, & Ambrosius, uti legenti facile patebit.

Instabis. Supra probavimus, Spiritum Sanctum a Filio procedere, quia ab illo missus legitur in Scripturis: atqui si posset missio sine processione subsistere, nullum esset hujusmodi argumentum. Respondere namque possent Græci, quod Spiritus Sanctus a Filio missus esse dicatur, quatenus externa tantummodo species columbæ, ignis, & venti a tota simul Trinitate, adeoque & a Filio sit producta; non vero quatenus ab isto ille processerit. Ergo.

Resp., quod dum de processione Spiritus Sancti

ctì a Filio superius agebamus, non largo in sensu, sed vere ac proprie missionem accepimus; prout nempe illa æternam originem, non temporalem dumtaxat operationem includit. Nam quod ipsa Spiritus Sancti Persona procedat a Filio, inde probatur, quod eodem modo Spiritus Sanctus dicitur missus a Filio, quo dicitur missus a Patre; ergo ab utroque procedit: omnia enim quæ habet Pater, habet & Filius, paternitate dumtaxat excepta. Deinde Christus de Spiritu Sancto testatur, quod non loquatur a semetipso, quod ab ipso Filio audiat, & scientiam ac essentiam accipiat &c. Hic igitur missio sumitur adæquate; adeoque licet Filius improprie a Spiritu Sancto sit missus, quoad scilicet solum opus externum; proprie tamen Spiritus Sanctus a Filio missus est, quoad ipsam nempe Personam, non quoad exteriorem tantum efficientiam individuæ Trinitatis.

Jam ergo patet ex dictis, quod missio divinæ Personæ non præ se ferat imperium, uti dominus famulum mittit; neque per consilium exerceatur, uti Consiliarius Regem mittit ad bellum; illud enim missionis genus æqualitatem potentiæ, istud vero sapientiæ æqualitatem excludit. Missio itaque de Deo dicitur dumtaxat secundum originem, per quam Persona quæ mittitur, eandem essentiam, potentiam, & sapientiam accipit a mittente. Unde S. Augustinus in lib. 4. de Trin. c. 20. ait: *Si secundum hoc missus a Patre Filius dicitur, quod ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit, ut credamus, æqualem Patri esse Filium, & consubstantialem, & coæternum, & tamen a Patre missum Filium. Non quia ille major est, ille minor: sed quia ille Pater, ille Filius, ille ge-*

nitor, ille genitus, ille a quo est qui mittitur, ille qui est ab eo, qui mittit.

Quia denique Personæ quæ mittuntur, aliquando visibilem, aliquando invisibilem operantur effectum; idcirco Theologi missionem aliam visibilem, invisibilem aliam esse dixerunt. Ad primum missionis genus pertinent Verbi nativitas, & Spiritus Sancti adventus sub sensibili specie columbæ, ignis, & spiritus vehementis: ad alterum vero spectat charitatis & donorum infusio, dum justificatio nostra peragitur. Lege S. Thomam in p. 1. q. 43. a. 5., & S. Bonaventuram in 1. d. 15. p. 2. a. unico q. 2., a quibus edisces etiam, quanam ratione Filius & Spiritus Sanctus conjunctim ad supernaturales habitus actusque mittantur.



CA-

CAPUT XI.

Exponit proprios singularum Personarum characteres.

CUm hoc in capite de propriis cujuslibet divinæ Personæ characteribus, sive nominibus agendum sit, advertimus cum Angelico Doctore in p. 1. q. 33. a. 2., *quod nomen proprium cujuslibet Personæ significat id per quod illa Persona distinguitur ab omnibus aliis*. Ita prima Persona Patris nomine designatur, non tamen quatenus respicit creaturas; nam ita Patris nomen tribus est commune Personis, quæ potentiam, sapientiam, ceterasque perfectiones in rerum molitione ac regimine manifestant; sed prout illa refertur ad Filium, quem ex utero ante luciferum genuit in perfectissima unitate substantiæ. Sicut igitur prima Persona per paternitatis relationem constituitur, & a Personis aliis ex primo conceptu distinguitur; ita & relativo Patris nomine proprie nuncupatur. Unde Nazianzenus in Oratione 35. ait: *Nec enim essentiæ nomen est Pater, nec actionis: sed relationem eam indicat, quam Pater habet erga Filium*. Hoc ipsum affirmant Athanasius Orat. 2., Cyrillus in Dialogo de Trin. c. 2., aliique communiter.

Innascibilis etiam, & ingeniti nomine prima Persona vocatur; circa quod adnotat S. Bonaventura in 1. d. 13. a. unico q. 4., *quod ingenitum uno modo dicitur, prout accipitur pri-*

vative pro eo quod non generatur; & hoc modò dicitur de Spiritu Sancto, & de Essentia. Alio modo prout ingenitum tantum valet, quantum non ens ab alio, & a quo alii: & hoc modo dicit notionem solius Patris, quia dicit proprietatem, & dignitatem in Patre. Observant insuper nonnulli Græcæ linguæ Periti, quod nomen *ingeniti*, græce ἀγένητα cum unica consonante ν, significet *non productum*, cum oriatur ἀ γίγνομαι, vel γίνομαι, *fio*: unde unaquæque Persona divina, cum sit *non facta*, ἀγένητα, *ageniti*, idest ingenita dici potest. Si vero duplicetur consona ν, ἀγέννητος a γεννάω, *gigno*, derivat; sicque solus Pater *agennitos*, idest *ingenitus* dicendus est, cum ipse solus a nullo procedat, & Filius ac Spiritus Sanctus procedant ab illo. Et hoc in sensu Athanasius in epist. ad Serapionem ita scribit: *Non est ingenitus Spiritus Sanctus, quia imprincipiatum esse, & ingenitum soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicæam recte & fideliter attribuit, & de solo Patre esse credendum & prædicandum, toti mundo sub anathemate mandavit.*

Dicitur etiam prima Persona Fons, Origo, & principium, quatenus nempe Filius & Spiritus Sanctus a Patre suam deducunt originem; ad quod etiam denotandum Hilarius in lib. *6.* de Trin., & Augustinus in lib. 3. contra Maxim. c. 14. Patrem Filii Auctorem appellant; prout scilicet *Auctor* idem est ac Genitor, denotatque consubstantiale principium. Causæ item nomen a Græcis passim Patri tribuitur, & aliquando etiam a Latinis, uti ab Augustino in lib. 83. qq. q. *16.* & ab Hilario in lib. 12. de Trin., quin tamen inter Trinitatis Personas ulla notetur naturæ diversitas, quam apud La-

ti-

tinos, Scholæ præsertim Doctores, causæ nomen importat. Quapropter S. Bonaventura in 1. d. 20. a. 2. q. 2. scribit: *Omne quod emanat in his inferioribus, est effectus, & quod producit, est causa; & ideo dicitur, causa est, ad cujus esse sequitur aliud; & quia aliud in natura, ideo posterius in natura. In divinis autem est emanatio, ad quam non consequitur essentiæ diversitas, vel naturæ; ideo nec prius, nec posterius natura, sed simul natura: & ideo in divinis non accipitur ratio causæ, vel effectus secundum Latinos, sed nomen principii; quamvis Græci extenso nomine utantur nomine causæ pro nomine principii.* Idem quoque legitur apud S. Thomam in p. 1. q. 33. a. 1.

Secunda vero Trinitatis Persona triplici præsertim nomine decoratur, dicitur enim Filius, Verbum, & Imago Patris. Et Filii quidem nomen illi proprie competit, cum sola sit secunda Persona, quæ essentiam a Patre per naturalem generationem accipiat; uti in IV. capite dictum est. Item quia hujusce Personæ productio corporalis, & externa non est, sed intellectu perficitur; idcirco Verbi nomen proprie illi tribuitur. Unde scribit Augustinus in lib. 7. de Trin. c. 2. *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita & Verbum ad eum cujus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, & eo Verbum quo Filius.*

Imago etiam Filius proprie appellatur: ut enim scribit Augustinus in lib. 5. de Trin. c. 13. *Relative dicitur Filius, relative dicitur Verbum, & imago.* Istud ergo nomen soli Filio competit; cum ad rationem perfectæ, ac proprie dictæ imaginis non tantum requiratur similitudo in

in natura; sed requiritur insuper, ut is qui imago dicitur; ex vi suæ originis in similitudinem naturæ procedat; uti aperte docent S. Thomas in p. 1. q. 35. a. 2., & S. Bonaventura in 1. d. 31. p. 2. a. 1. q. 2.

At hic objectare quis posset, quod secunda Trinitatis Persona ex Patris voluntate procedat; uti afferunt Justinus in dialogo cum Tryphone; Hilarius in libro de Synodis, aliique: non ergo est proprie Filius, qui non voluntate gignitur, sed natura; & ob eandem rationem neque illa poterit Verbum vere ac proprie nuncupari.

Deinde Damascenus in libro 1. de Fide Orthodoxa c. 18. Spiritum Sanctum dicit esse Filii imaginem: imago igitur non est nomen Filio proprium.

Resp. ad 1. cum S. Bonaventura in 1. d. 6. a. unico q. 2., quod Dei Filius dici possit genitus voluntate *in ratione approbantis, & diligentis*, quo modo respicit omne bonum, & quo in sensu hæc etiam propositio vera est: *Pater vult esse Deum*. Non vero dici potest, quod voluntate sit genitus *in ratione principii producentis*, quod ab effectu distinguitur, illumque causalitate & duratione præcedit; hoc enim modo creatura producitur: neque *in ratione principii cum communicante natura*; ita namque Spiritus Sanctus procedit. Ergo in generatione Filii *natura est principium cum communicante voluntate*; nam ille *producitur ut omnino similis, & per modum naturæ, nihilominus ut dilectus*.

Ad 2. Damascenus large sumit imaginem, prout nempe perfectam in natura similitudinem, sive consubstantialitatem includit; non prout is qui

qui imago dicitur, ex sua origine procedit ut similis, & naturali modo producitur. Ita etiam Basilius in lib. 5. contra Eunomium, Spiritum Sanctum *Verbum* Filii dicit, improprie scilicet, & figurate: *prout*, inquit S. Thomas in p. 1. q. 34. a. 2., *Verbum alicujus dici potest omne illud, quod est manifestativum ejus; ut sic ea ratione dicatur Spiritus Sanctus Verbum Filii, quia manifestat Filium.*

Nomina igitur Filii, Verbi, & imaginis, secundæ Personæ sunt propria. Alia etiam nomina, ut Sapientia, Virtus, Veritas, &c., licet ex sese absolutum aliquod, & toti Trinitati commune significent; erunt tamen propria Filii, si relativo termino conjungantur: nempe si exempli gratia dixeris, *Sapientia, Virtus, Veritas a Patre genita &c.*

Tertia denique Persona vocatur Spiritus Sanctus, Amor, & Donum. Et Spiritus quidem dicitur non a spiritualitate, cum nomen Spiritus ita sumptum, absolutum sit prædicatum, & toti competat Trinitati: sed a spirando proprie Spiritus appellatur. *Nam*, ut inquit S. Thomas in p. 1. q. 36. a. 1., *nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam, & motionem significare videtur; nam flatum & ventum, & spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moveat, & impellat voluntatem in amatum.* Spiritui insuper nomen sanctitatis adjungitur, quia ut ibidem subdit Doctor Angelicus, *sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur Persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus Sanctus nominatur*. Idem quoque fuse docet S. Bonaventura in 1. d. 10. a. 2. q. 3.

Tandem Amoris nomen relative sumptum in

in proprio sensu tertiæ Personæ tribuitur: ut enim ait S. Thomas in p. 1. q. 37. a. 1. ad 3., *ex hoc quod Pater & Filius se mutuo amant, oportet, quod mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus, ab utroque procedat*. Et ideo etiam donum dicitur; personale scilicet, & subsistens. *Manifestum est*, inquit laudatus S. Doctor in p. 1. q. 38. a. 2., *quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Unde cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi. Unde dicit Augustinus* 15. *de Trin. c.* 19., *quod* per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.



CA-

CAPUT XII.

Quosdam præscribit Canones, ut recte de Trinitatis Mysterio disseratur.

QUoniam cum de Trinitate sit sermo, *nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur*; ut inquit Augustinus in lib. 1. de Trin. c. 3., idcirco nonnullos hic subjicimus canones, quibus uti Candidati nostri poterunt, ut de Sacrosancto Mysterio recte riteque loquantur.

Primo igitur advertimus, quod licet vox ista *Trinitas* in Scriptura non extet, cum tamen Patres illam adhibuerint ad exprimendum numerum Personarum; idcirco & nos dum de hoc mysterio loquimur, eandem vocem jure merito retinemus; secus ac nonnulli calumniantur hæretici.

II. Essentia, sive Deitas dici recte potest *Trina*, uti colligitur ex Augustino in lib. 12. Confess. c. 7., & ex Anselmo in Monologio c. 78., & sicut etiam universa canit Ecclesia in hymno Corporis Christi, *Sacris solemnis* &c. Non enim dum ita loquimur, demonstramus, quod Deitas in se trina sit ratione substantiæ, sed ratione tantummodo Personarum, a quibus est realiter indistincta.

III. *Triplex* autem de Deo dici non potest; numerus enim ille significat rem cui tribuitur, esse *triplicatam*; sicque compositio notaretur in Deo,

Deo, & inæqualitas in Personis. Unde Augustinus in lib. 6. de Trin. c. 1. ait: *Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius.*

IV. Neque admittenda est propositio isthæc: *Trinitas est trina*; denotaret enim multiplicationem numeri ternarii in seipsum, adeoque quod novem essent in Deo Personæ. *Et ideo*, inquit Angelicus Doctor in p. 1. q. 31. a. 1. ad 5., *non potest dici quod Trinitas sit trina; quia sequeretur, si Trinitas esset trina, quod tria essent supposita Trinitatis; sicut cum dicitur*, Deus est trinus, *sequitur quod sunt tria supposita Deitatis.*

V. Divinæ Pesonæ dici nequeunt separatæ, divisæ, dissimiles, discrepantes &c. Hæc enim aliaque hisce similia nomina non in suppositis tantum, sed & in ipsa substantia distinctionem ostendunt. Unde S. Thomas in p. 1. q. 31. a. 2. ait: *Ne tollatur simplicitas divinæ Essentiæ, vitandum est nomen* separationis & divisionis, *quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen* disparitatis. *Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen a*lieni & discrepantis.

VI. Tres Personæ recte dicuntur plures, discretæ, distinctæ, aliæ; non tamen aliud, & aliud. Quia enim multiplicantur hypostases, idcirco priores illæ enunciationes in masculino genere conceduntur: quia vero neutrum genus rem & essentiam exprimit, non Personam; & essentia una est; idcirco non dicimus, quod una Persona sit *aliud* ab alia. Quapropter Augustinus tract. 36. in Jo. ait: *Alius est, recte dicis: aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater;* &

& alius Pater, quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius.

VII. Ergo quia ex dictis masculinum genus Personam ostendit, neutrum vero naturam; ut unitas denotetur essentiæ, dicendum est, quod Pater & Filius sint *unum* in neutro genere, non *unus* in masculino, ne Personarum distinctio denegetur. Lege S. Thomam in p. 1. q. 31. a. 2. ad 4., & S. Bonaventuram in 1. d. 9. dub. 1.

VIII. Circa vocem exclusivam *solus*, an admittenda sit in divinis, adnotat Seraph. Doctor in 1. d. 21. a. 1. q. 1. „ quod hæc dictio „ *solus*, potest esse categorema, vel syncate„ gorema. Secundum quod est categorema, sic „ est nomen adjectivum absolutum, ponens „ rem suam circa suum substantivum, & res „ sua est solitudo; unde tantum valet hic, *so„ lus*, quantum *solitarius*. Et quia solitudo „ nullo modo recipitur in divinis quantum ad „ substantiam, quia est in multis Personis, hoc „ nomen, *solus*, non recipitur in divinis sub„ stantialibus. Si autem accipiatur, in quantum „ est syncategorema, sic privat associationem, „ & importat aliquam negationem. Et sic cum „ aliquod prædicatum & substantiale, & per„ sonale præcise dicatur de nomine substantia„ li, sic vere dicitur in divinis, & respectu „ prædicati substantialis, ut cum dicitur, *solus „ Deus creat*; & respectu personalis, ut cum „ dicitur, *solus Deus est Pater*. „ Plura deinceps addit S. Doctor, quæ brevitatis gratia prætermimus. Hac etiam de re legi poterunt. S. Thomas in p. 1. q. 31. a. 3., & Estius in 1. d. 21. §. 1. & 2.

IX. Nomina absoluta substantiva si in ab-

stra-

stracto sumantur, & prout solam formam exprimunt sine subjecto, ut *Deitas*; in plurali numero de Personis enunciari non possunt; unde dici nequit: *Tres Personæ sunt tres Deitates, tres immensitates, tres omnipotentiæ* &c. Substantivum enim nomen absolutum exprimit perfectionem aliquam, quæ ad unitatem substantiæ pertinet; pluralis autem numerus ex sese multiplicitatem includit.

X. Nomina substantiva absoluta, si in concreto accipiantur, & prout denotant aliquid quod suo modo adjacet Personis, de eisdem Personis in plurali numero poterunt affirmari: Ita in Symbolo quod Athanasio tribuitur, tres Personæ *coæternæ* sibi dicuntur, & *coæquales*. Dicitur etiam ibidem, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sint tres æterni, sed unus æternus; quatenus nempe vox *Æternus* non ut adjectivum *Personæ*, sed ut adjectivum *Dei*, & per modum substantivi concipitur.

XI. Ex dictis apparet ratio, cur hoc nomen *Deus* licet sit concretum, in pluralem tamen numerum nullatenus inflectatur; ita nimirum ut tres Personæ, dici omnino nequeant *tres Dii*. Ex usitato enim apud Latinos loquendi more, nomen illud *significat substantiam, & per modum substantiæ, ut nomen substantivum:* ita scribit S. Bonaventura in 1. d. 9. dub. 2., idemque repetit in 1. d. 23. a. 2. q. 2. Legendi sunt etiam hac de re S. Augustinus in lib. 1. de Trin. c. 4., & S. Thomas in p. 1. q. 29. a. 3.

XII. Nomina relativa, si per modum substantiæ exprimantur, de essentialibus recte poterunt prædicari, sive abstracta fuerint, sive concreta. Hinc bene dicitur: *Essentia est Paternitas: Essentia est Pater* &c. Sicut enim ratio-

tione perfectissimæ identitatis nomina essentialia de relativis rite dicuntur, ut *Paternitas est Essentia*, *tres Personæ sunt Essentia*, *immensitas*, *æternitas &c.*; ita ob eandem causam nomina relativa, dum substantive sumuntur, rite de essentialibus affirmantur.

XIII. Eadem vero relativa nomina, si per modum verbi, vel adjectivi efferantur, de essentialibus prædicari non possunt: unde dici nequit: *Essentia generat*, *vel generatur*: *spirat*, *vel spiratur*. Neque dici potest: *Essentia est generans*, *vel generata*; *spirans*, *vel procedens*. Dum enim, exempli gratia, dicitur: *Essentia est generans*, *vel generat*; quia *generare*, ut ait S. Bonaventura in 1. d. 27. p. 1. a. unico q. 1., *non habet suppositum intra*, *ponit rem circa essentiam*, *& ideo ipsam significat distingui*: *non autem sic hoc quod est*, Pater, *cum habeat suppositum intra*; *sensus enim est*, Essentia est Pater; *id est*, ille qui generat.

XIV. Nomina essentialia, si in abstracto significent, supponere nequeunt pro Personis; secus autem dicendum est, si significent in concreto. Hujusce rei rationem adducit S. Bonaventura in 1. d.4. a. unico q.1., dum ait: „ Cum „ enim iste terminus, *Deus*, sit concretus, & „ imponatur a forma essentiali, scilicet Deitate; tamen imponitur Personæ sive supposito, sicut album imponitur ab albedine rei „ albæ; & ideo supponit, & reddit locutionem „ veram pro Persona, non pro forma. Hoc „ autem nomen *Essentia*, vel *Deitas*, est abstractum; & ideo imponitur formæ, & a „ forma, sicut albedo; & ideo Essentiam significat, & supponit; & ideo hæc est falsa, „ *Essentia generat Essentiam*; quia generatio

„ non est formæ, sed suppositi: sed hæc vera,
„ *Deus genuit Deum*, pro Persona.

Ex dictis infertur 1. cum S. Thoma in p. 1, q. 39. a. 4. quod „ quandoque nomen, *Deus* „ supponit pro essentia, ut cum dicitur, *Deus* „ *creat*, quia hoc prædicatum competit subje„cto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas. „ Quandoque vero supponit Personam; vel „ unam tantum, ut cum dicitur, *Deus generat*; „ vel duas, ut cum dicitur, *Deus spirat*; vel „ tres, ut cum dicitur, *Regi sæculorum immor*„*tali, invisibili, soli Deo* &c. 1. ad Tim. 1.

Infertur 2. cum eodem S. Doctore in citato loco a. 5. ad 1., quod dum SS. Patres aliquando Dei Filium dicunt Sapientiam de Sapientia, Essentiam de Essentia, uti inter alios loquitur Augustinus in lib. 7. de Trin. c. 1. & 2.; „ hujusmodi locutiones non sunt extendendæ, „ sed exponendæ; ut scilicet nomina abstracta „ exponantur per concreta, vel etiam per no„mina personalia; ut cum dicitur, *Essentia* „ *de Essentia*, vel *Sapientia de Sapientia*; ut „ sit sensus, *Filius qui est Essentia & Sapien*„*tia, est de Patre, qui est Essentia & Sa*„*pientia*.



APPENDIX

AD LIBRUM VI.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS,

Qua Venerabilis Scoti ſententia circa Prædeſtinationem, & Reprobationem apertiſſime declaratur.

Digitized by Google

LECTORI HUMANISSIMO.

UT praecedentium tomorum moli quartus etiam iste succresceret, institere Typographi; utque Ven. Scoti mens circa praedestinationis materiam evidentius appareret, nonnulli petiere Scotistae: his igitur, illisque morem gerens mox postremo subjiciam laudati Doctoris quaestionem, in qua de praedestinatione, & reprobatione graviter alteque disseruit, eamque brevibus, sed perspicuis scholiis exornabo: ut qui hujuscemodi rerum scientia delectantur, habeant hic prae oculis id, quo suae possint satisfacere voluntati. Quaestionem autem non ex Oxoniensi Opere, in quo Ven. Doctor subobscure aliquando pro saeculi sui consuetudine locutus est, transcribendam esse putavi, sed ex Parisiensibus, ut inquiunt, Reportatis; tum quia quidquid utilius ad Juvenum eruditionem in Oxoniensi volumine occurrere potuit, jam in lib. VI. *satis superque laudavi; tum quia, uti scribit Waddingus in Censura, quam praeposuit Parisiensibus Reportatis, Opus istud valde placet* iis, qui in vasto, & vario rerum theologicarum studio brevius & clarius cupiunt edoceri. *Tu igitur, amice Lector, meum hunc laborem, qualiscunque sit, aequi bonique quaeso facias, & in obsequium etiam tanti Doctoris accipias. Vale.*

QUÆSTIO UNICA. (1)

Utrum ex parte nostra sit aliqua causa prædestinationis, vel reprobationis?

Circa distinctionem quadragesimam primam quæritur: utrum aliquod meritum, vel demeritum sit ratio prædestinationis, vel reprobationis in præscientia divina?

I. *argumentum affirmativum.* Quod sic videtur. Augustinus 83. qq. q. 68. *Voluntas Dei injusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis*. Et sequitur: *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus &c.* (2).

II. Item per rationem. Ille non est summe bonus, nec summe liberalis, qui non est summe communicativus: sed nisi sit alia ratio prædestinationis in uno, & reprobationis in alio, Deus non esset summe communicativus, quia posset æque bo-

(1) Quæ inter Scoti opera legitur in libro 1. Reportatorum distinct. 41.

(2) Integrum Augustini testimonium in lib. 83. quæstionum quest. 68. n. 4. istud est: *Prorsus cujus vult miseretur, & quem vult obdurat: sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sint obtusione.*

bonum summum communicare alteri; quem non prædestinat, ex quo sine omni ratione alium prædestinavit: igitur &c.

III. Item Augustinus 83. qq. q. 50. & contra Maximinum lib. 2. *Si Deus non genuit Filium æqualem, aut hoc est quia non potuit, & sic impotens fuit; aut quia non voluit, & tunc invidus fuit* (3). Ita arguo in proposito: Si Deus non prædestinavit istum, in quo nulla est ratio, vel demeritum reprobationis; aut igitur quia non potuit eum prædestinare, & tunc impotens fuit; aut quia noluit, & tunc invidus fuit.

IV. Item quando aliqua duo ex se sunt æque ordinabilia ad unum finem, voluntas acceptans unum ad illum finem, & non aliud, videtur esse acceptatrix personarum: sed duo homines, circumscripto merito, vel demerito, sunt æque ordinabiles ad beatitudinem: igitur si Deus prædestinat unum, & non alium sine ratione aliqua, sed ex sola volunta-

te

(3) Non hic Ven. Scotus Augustini verba transcripsit, sed sensum expressit. Primo itaque in loco ita loquitur Augustinus: *Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, (nihil enim Deo melius,) generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est. Si potuit, & noluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.*

In libro autem 2. contra Maximinum c. 13. n. 5. hæc leguntur: *Deus ergo cur non æqualem genuit Filium, cui nec anni necessarii fuerunt per quos id impleretur, nec omnipotentia defuit? An forte noluit? Ergo, quod absit, invidit. Sed non invidit: æqualem igitur genuit.*

te sua ; videtur esse acceptator personarum.

Contra. Apostolus ad Romanos 9. de Jacob, & Esau: *Cum nihil boni, aut mali egissent &c.* *I. argumentum negativum.*

Item ibidem c. 11. *O altitudo divitiarum &c. quam incomprehensibilia sunt judicia ejus &c.* Sed si propter aliqua merita prædestinaret, non esset sua prædestinatio, & reprobatio incomprehensibilis: igitur &c. II.

Respondeo, quod nullus unquam posuit esse aliquam rationem prædestinationis ex parte actus prædestinationis, quæ est actus voluntatis divinæ: sed hoc in quæstione quæritur, utrum ex parte effectus, sive objecti sit aliqua ratio, propter quam effectus prædestinationis sequitur in isto, & non in illo. Et circa hoc sunt duæ opiniones modernæ, quas quære alibi (4). *Ex propria sententia Scotus quæstioni respondet.*

S 4 Di-

(4) In Oxoniensi opere, quod Ven. Doctor ante Parisiensia Reportata composuit, recenset opinionem S. Thomæ in p. 1. q. 23. a. 5., ubi ait, quod quamvis effectus unus prædestinationis, alterius effectus causa esse possit; si tamen illi simul omnes accipiantur, *habet hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem.*

Refert ibidem Scotus opinionem Henrici Gandavensis in 8. quodlib. q. 5. ajentis, quod prævidens Deus liberum arbitrium vel bene vel male gratia usurum, inde rationem acceperit prædestinandi quidem alios, alios autem reprobandi.

Hæ sunt duæ illæ opiniones, quas hic Scotus modernas appellat, & de quibus late disputat in laudato Oxoniensi opere, libro 1. d. 41. q. unica a numero 4. usque ad 10.

Dico ergo sic ad quæstionem , quod secundum Philosophum 7. Metaph. cap. 6. duplex est processus in agentibus a proposito ; unus in cognoscendo, & volendo ; alius in operando : nam in processu volitionis, & cognitionis primum est finis ; finis enim primo movet agentem, tanquam prima ratio volendi omnia alia, & est principium cognitionis, & quo volens est volens, & quæ propinquiora sunt fini, prius sunt volita, & cognita, & iste modus est in intentione. Alius processus, sive motus est e converso in agendo, & exequendo, quia quod est ultimo cognitum & volitum, est primum a quo agens incipit operationem ; sicut Philosophus ponit exemplum de sanitate, & de his quæ ordinantur ad sanitatem, propter quod dicit ibi Commentator, quod hoc est quod dicitur, quod principium operationis est finis cognitionis, & e converso finis cognitionis est principium operationis ; & hoc est quod dicimus communiter, quod primum in intentione est ultimum in executione, & e converso (5).

Ex his sequitur, quod in his quæ sic ordinantur, quod unum ordinatur ad aliud, dicendo, volo mihi hoc propter illud, ut volo A propter B, duplex potest esse sensus : vel quod volo A propter

(5) Hoc quod obscure nimis dixerat Philosophus in lib. 7. Metaphys. c. 7., juxta Parisiensem editionem anni 1619., Ven. Scotus tum hic, tum in lib. 7. Metaph. summa 1. c. 6. clarius explicat.

pter B, ut propter rationem volendi, quod est principium in intentione; vel propter B, ut propter rationem volendi in fieri, quod est volitum prius in executione. Exemplum ponitur de sanitate, & potione: nam dicendo, volo propter sanitatem ipsam potionem, veritatem habet, ut propter rationem volendi. Sed dicendo, volo propter potionem ipsam sanitatem, veritatem habet ut propter volitum, quod est dispositio ad sanitatem; nam sanitas habetur per potionem, tanquam per prius volitum in executione. Dicendo autem, volo propter sanitatem potionem, est e converso, quod sanitas est ratio volendi potionem, & est prior in intentione.

Ad propositum dico, quod duo sunt hic certa. Primum, quod Deus sit, & vult res fore sicut erunt. Aliud est certum, quod damnatus damnabitur propter sua demerita, quæ præcedunt in fieri, ut dispositio ad damnationem; & similiter quod salvandus, sive prædestinatus, salvabitur propter sua merita bona, quæ præcedunt in fieri, ut dispositio ad beatitudinem.

Dicendum igitur quod Deus vult damnandum damnari propter sua demerita, & similiter quod Deus vult prædestinatum salvari propter sua merita: sed hoc tamen duplicem habet intellectum, vel quod intelligat propter merita, ut propter dispositionem præcedentem in fieri, & sic nullus negat, quin prædesti-

na-

natus propter sua merita beatificabitur, & reprobatus propter sua demerita damnabitur: sed sub alio sensu est quæstio difficilis, scilicet ut ly *propter* dicit rationem volendi, ut tantum merita, vel demerita sint ratio volendi huic beatitudinem, & illi damnationem.

Respondeo, sicut dictum est distinctione 17. de charitate (6), quod nullum aliud bonum a Deo est ratio volendi, nec ut potentia elicitiva, nec ut objectum primum, nec ut objectum necessarium simpliciter ad actum suum, nec secundum esse actualis existentiæ; sed ut objectum secundarium, non necessarium simpliciter, sed secundum quid, ut est in intellectu, & hoc non secundum leges universales, sed secundum judicia, quæ conclusiones legis universalis sequuntur (7); nihil enim requiritur ad actum divinum, nisi sua essentia, & potentia. Et isto modo certum est, quod Deus propter merita non prædestinat, nec reprobat, & sic non est in Deo aliqua ratio

(6) In hoc eodem Parisiensium Reportatorum libro 1. d. 17. q. 2.

(7) In laudata paulo ante quæstione hæc inter alia Scotus ait: *Nec etiam charitas est ratio objectiva acceptandi aliquem actum secundum legem universalem, qua Deus statuit quod omnis finaliter justus salvabitur; sed est ratio objectiva acceptandi aliquem actum in particulari: & est quasi explicatio legis universalis, & se habens ad illam, sicut judicium ad justitiam. Judicium enim est explicatio justitiæ in aliquo singulari actu. Ideo dicitur de Deo, Psalmo* 118. Feci judicium, & justitiam.

tio prædestinandi, sive reprobandi; non ergo ex parte Dei est aliquid, quod est sibi ratio prædestinandi, sive reprobandi; nisi sua essentia; & potentia: sed utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam rationem, sive causam, ut utrum Deus præordinavit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita; dubium est. Et quantum ad hoc dico, quod est aliqua ratio reprobationis, sed nulla prædestinationis; sed quære probationes horum alibi. (8.)

Sed dices forte, quod Deus vult, & scit rem fore, sicut erit: sed Petrus salvabitur propter merita: igitur Deus vult Petrum salvari propter merita.

Respondeo secundum prædicta, quod Deus vult Petrum salvari propter merita,

(8) In Oxoniensi scilicet opere, lib. 1. d. 41. q. unica, ubi scribit, *quod prædestinationis nulla est ratio etiam ex parte prædestinati aliquo modo prior ista prædestinatione*; idque ex eo præcipue probat, *quia volens ordinate finem* &c., quæ in lib. 6. c. 4. supra citavimus.

Ibidem etiam Ven. Scotus ostendit; quod reprobatio sine causa esse non possit; *quia damnatio non videtur bona, nisi quia justa; nam secundum Augustinum* 11. *super Gen. c.* 17. Non prius est Deus ultor, quam aliquis sit peccator. *Videtur enim esse crudelitatis, punire aliquem, non præexistente in eo culpa: igitur a simili, non vult prius aliquem punire, quam videat aliquem esse peccatorem*.

Augustinus autem citato in loco n. 22. quærit, an beatus fuerit diabolus ante peccatum? & inter alia scribit: *Numquid ille* Deus *prius ultor, quam iste peccator? absit, Neque enim Deus damnat innocentem*.

ta, tanquam propter volitum præcedens in fieri, & in dispositione ad salutem; sed non vult ipsum salvari propter merita, ut propter rationem volendi, sed potius e converso, quia prius vult finem alicui, quam aliquid ordinatum ad finem. Unde in primo instanti post volitionem suæ bonitatis, vult Deus beatitudinem, sive prædestinationem Petri sine alia ratione volendi.

Ex prædictis Ven. Doctor subjungit 4. corollaria.

Ex hoc quod habetur alibi supra de prædestinatione, & reprobatione sequuntur aliqua corollaria.

Primo, quod prius est completus numerus electorum, quam aliquis reprobetur, cum in primo instanti fiat prædestinatio, & in secundo instanti fiat reprobatio.

Ex hoc sequitur secundo, quod nullus Beatus invidet alicui alteri Beato, nec damnatus alicui Beato ex hoc, quod est substitutus in loco ejus; quia ex quo in primo instanti sunt prædestinati, in nullius damnati locum fuerunt substituti; & ideo illud bonum quod habet, nunquam fuisset istorum damnatorum, si stetissent.

Ex hoc etiam sequitur, quod nullus occasionaliter sit salvatus, & quod Christus occasione peccati non fuit incarnatus; imo si nunquam aliquis peccasset, fuisset supremus inter viatores, qui unquam fuerunt.

Sequitur etiam, quod solum illi, & omnes

Google

omnes illi personaliter, qui modo sunt salvandi, fuissent salvati, si Adam non peccasset; quia antea, quantum est ex parte objecti, fuerunt prædestinati, quam repudiati, ut peccato obnoxii, & antequam fuit prævisum Adæ peccatum.

Resolvit argumenta in exordio quæstionis objecta.

Ad primam rationem dicendum, exponendo Augustinum, vel sicut Magister exponit ipsum, quod scilicet hoc retractavit (9), vel quod dixit, quantum ad effectus prædestinationis: meritum enim est magis effectus, quam ratio prædestinationis (10).

Ad rationem de liberali dico, quod esse libere liberalem est melius, quam esse necessario liberalem, sive communica-

(9) Prima hæc responsio quam Subtilis Doctor in gratiam Magistri sententiarum adhibuit, omnino non constat. Tantum enim abest, quod Augustinus id quod laudata in quæstione 68. tradiderat, revocaverit; quin potius in lib. 1. retract. c. 26. id expresse iterum approbat, confirmatque, dum ait: *Nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem, quæ si non esset, non præparetur voluntas a Domino. Ad eam misericordiam pertinet & ipsa vocatio, quæ etiam fidem prævenit*. Loquitur ergo S. Doctor de dispositionibus, quæ ad obtinendam justificationis gratiam requiruntur; uti etiam in Tridentino Concilio Sess. *6.* c. *6.* statutum est.

(10) Hæc est vera responsio, uti patet ex dictis. Seraphicus etiam Doctor in 1. d. 41. dub. 3. explicans citata illa Augustini verba, sic ait: *Dignitas ibi tantum valet, quantum congruitas solum; & multæ possunt esse congruitates ad gratiam gratum facientem, per multiplicitatem ad gratiam gratis datam*. Lege eundem S. Doctorem in 2. d. 28. a. 2. q. 1. in responsione.

cativum, ſicut Sol dicitur liberalis in communicando, quomodo loquitur Avicenna de liberalitate 8. Metaphyſicæ c. ult. Illud enim ſecundum ipſum dicitur liberum, quod communicat non expectando perfici, quaſi per retributionem. Ex hoc autem oſtenditur Deus libere liberalis, quod uni dat, & non alteri, licet ſint æquales (11).

Ad aliud de invidia dicendum, quod non ſequitur; invidia enim non eſt, niſi ut abſtrahitur ab aliquo quod eſt ſibi debitum; & ideo ſi Pater in divinis non produxiſſet Filium ſibi æqualem, invidus eſſet, quia hoc debetur Filio ex proceſſione ſua: reſpectu autem creaturæ non eſt debitor; unde dicitur in Matthæo (12): *An non licet mihi quod volo facere &c.*

Ad aliud dicendum, quod aliquis debet diligere æque bonum, verum eſt, ubi bonitas præexiſtens eſt cauſa dilectionis; ſic eſt in nobis. In Deo autem *diligere* eſt cauſa bonitatis, & ideo nullum eſt ibi debitum diligendi (13).

Ad

(11) *In* Oxonienſi opere, quod ſupra citavimus, argumento huic ſimiliter occurrit, aitque: *Poteſt enim ſic liberalis*, libere ſcilicet, *aliquibus duobus apprehenſis æqualibus, velle bonum non æqualiter communicare., nec in hoc ſit injuſtitia aliqua, quia nihil eſt ibi debitum.*

(12) Matth. c. 20. v. 15. *An non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

(13) Ita pariter in Oxonienſi libro reſpondet: *Nul-*

Ad rationem in oppositum potest dici secundum alias opiniones, scilicet quando dicitur de incomprehensibilibus judiciis Dei, dicendum quod aliud est, quod imperscrutabiles sint leges practicæ, aliud judicia practica: nam leges sunt de universalibus, secundum quas judicia sunt in particulari: pro tanto igitur ista judicia sunt incomprehensibilia, quia nullus homo potest scire in particulari, quod secundum tales leges sit judicatus (14): hoc intelligit Augustinus cum dicit (15): No- *Aliorum opiniones non prorsus rejicit.*

Nullum enim aliud bonum, quia bonum, ideo amatur ab illa voluntate, sed e converso: & ideo non potest acceptare personas, quia non est in eis bonitas, quæ sit sibi ratio amandi.

(14) Quod hic Scotus affirmat, in Oxonienſi opere clarius explicat. Non ergo absurdum existimat, si dicatur, quod reddi possit ratio *in communi*, sive secundnm legem a divina voluntate statutam, cur aliqui reprobentur; quia nempe decrevit Deus, ut *omnis prævisus finaliter malus damnetur*. Hæc est lex illa, quam Scotus universalem appellat, & practicam. *In particulari* autem hujusce rei ratio reddi non potest; cum *in particulari nesciatur, quod malum prævidet Deus in isto, propter quod reprobet eum: & in istis specialibus peccatis prævisis, est altitudo divitiarum, & sunt judicia incomprehensibilia*.


Hanc autem expositionem quam Scotus admittit, dum de reprobatione agitur; non approbat, dum de prædestinatione differitur; unde laudato in loco subjungit: *De bonis autem potest poni quod nulla sit ratio*; quia nimirum non ex meritorum prævisione Deus nobis æternæ vitæ bona paravit. Et idcirco præmiserat: *Volens ordinate finem* &c. Lege Caput 4. libri 6. In prima igitur assertionis parte Scotus Henrico favet, in secunda dissentit.

(15) Tractatu 26. in Joannem n. 2. *Magna gra-*

gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.

(16) Ex his quæ hactenus notata sunt, & ex dictis etiam in cap. 4. libri 6. aperte deducitur, quod Scoti opinio ab opinione S. Thomæ non differat; quamvis ille in Oxoniensi opere non omnia videatur admittere, quæ Angelicus Doctor affirmat in p 1. q. 23. a. 5. ad 3., quod adnotasse sufficiat.

Patet insuper, quod licet Ven. Scotus in sententiam eorum, qui prædestinationem ad gloriam a meritis independentem esse putabant, manifeste propenderit; oppositam tamen opinionem abjiciendam omnino esse non censuit: sicut & in Oxoniensi opere jam antea scripserat: *De istis opinionibus &c.*, uti in fine 9. capitis in lib. 6. retulimus.



MISC. 286 C 18


Digitized by Google